

M H T S

I 5 8 7

[Faint, mostly illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in two columns.]

WIKI
Opole



II

200 st.

Akc VI ²⁸⁴ 21/65/C

Descriptio
**TERRÆ SAN-
CTAE, ET REGIONVM
FINITIMARVM, AVCTORE**
BORCHARDO, MONACHO GER-
mano, familiae Dominicanae, quem vixisse ac-
cepimus circa annum Iesu Christi
M. CC. XXCIII.

Item
**ITINERARIUM HIE-
ROSOLYMITANVM BAR-
THOLOMÆI DE SALIGNIACO,**
EQUITIS ET IC. GALLI, IDEM AR-
gumentum pertractans.

Qui ambo commentarij secundum literas sacras cum recentem
Hierosolymitanam, tum reliquam Orientalem historiam mire illu-
strantes in Germania partim nunc primum; partim
emendatius & locupletius eduntur.

E Bibliotheca Aluenslebianæ.

MAGDEBURGI
Excudebat Paulus Donatus, Impensis
Ambrosij Kirchneri.

Anno M. D. XXCVII.

EQVESTRI ET VE
TVSTO GENERIS SPLENDORE,
DOCTRINA ET VIRTUTE NOBILISSIMO
VIRO, DN. IOACHIMO AB ALVENSLEEN,
Domino Erxlebij, &c. Patrono ex-
optatis. S D.

REINERVS REINEC
CIVS STEINHEMIVS.

PELLEGI LIBELLOS, DOMINE,
quos cum alijs quibusdam abs te ali-
quando Venetijs allatos, è Biblio-
theca tua pellegendos misisti. Nec
indignos statuo, qui ambo tandem in
Germania nostra typis exscribantur.
Quippe quam auctor patriam habeat, qua de re
paulò post plura: uti alterum vel ideò separari ab eo non
oportebat, quod de Terra sancta, quæ Rom: scriptoribus
Palestina est, explicans, vestigia illius diligentissimè le-
gerit, & ita legerit, ut qui scripto eius succus & sanguis
inest, inde totus defluat. Accedebat & hoc, quod quem-
admodum Chronicon Hierosol. nostrum pleniorē ali-
quam de rebus Sarracenicis, Turcicis, Tartaricis, vel
potius vniuersa Orientali historia explicationem deside-
rabat (qua quidem in parte Haythoni & Pauli Veneti
commentarijs, tum subiectis hisce tam Vincentij Belua-
censis, quàm nostris quasi παραλειπόντως, abundè lectori
satisfactum confidimus) sic vtriq; maius inferre lumen
42 posse

posse videbatur, simul terræ sanctæ exactior quæpiam
descriptio, simul de eo Ecclesiæ Orientalis statu exposi-
tio, quo inter tot tamq̃ admirabiles mutationes se hacten-
us conseruasset, & etiamnum perduraret. Ac me herclè
factum de argumento isto operæ precium Itinerariorum
Hierosol: farragine, quæ populari lingua superioribus
annis Francofurti ad Mœnum prodijt. Nec minus CL.
& eruditiss. viro, CASPARO Pencero debemus de
Brocardo (nam ita nomen hoc scribit) quem de dimensio-
ne terræ libello subiunxit. Nisi quod illa Bartholomæi
de Saligniaco Itinerario caret, sicuti hic exemplum pla-
ne diuersum secutus fuit. Nec disceptare mihi alterutrum
in animo est. Tantum id indicare liceat, fore deinceps,
Domine, quod veluti de triario subsidio sectantes rerum
memoriam vebementer Bibliothecæ tuæ obligati sint.
Hæc enim nunc demum vtrumq̃ auctorem Germaniæ
subministrat, & Borchardum etiam, cultu exotico des-
tracto, quasi postliminio redire facit. Nam Saligniacus
typis Lugdun. Borchardus Venetis legebatur & quidem
neuter emendatè. Quanquam Venetus codex eo non mo-
dicam prærogatiuam meretur, quod solum & nomen pa-
trium Borchardo restituit, quod eo, quem à Pencero
emissum dixi, multis parasangis locupletior est. Tam-
etsi enim Gesneri quoq̃ bibliotheca Germanum, & fami-
liæ Dominicanæ Monachum agnoscat, tamen de nomine
vulgatum σφδμια retinet. Iam quod ad vtriusq̃ auctoris
descriptiones attinet, earum vsum ipsimet sedulò incul-
cant. Ta-

cant. Tamen nemo, opinor, inficias iuerit, facile palmam
Borchardo deberi, siue narrationum fidem ^{ἡ ἀπὸ τῶν γεγραμμένων}
siue exquisitionis vel cum summo periculo coniunctæ in-
dustriam, vel potius perseuerantiam, spectes. Etenim
decennium integrum se in hoc labore consumpsisse affir-
mat, porro in Indiam penetraturus, nisi valetudo ab hoc
proposito eum reuocasset. Et sanè hac ipsa de causa
nonnulla animum nostrum dubitatio subiit, an Salignia-
ci Itinerarium Borchardo subiiciendum esset. Sed quod
tuum esset, Domine, redire ad integrum debere videba-
tur. Omitto, non pauca Saligniacum habere, quæ in
Borchardo desiderantur, omitto plures orationis delicias
in eo occurrere. Forasan tamen fuerit, quod in ijs reli-
gionis opinionibus, quas ambo profitentur, Critici exagi-
tent. Vti singulariter in Borchardo non immeritò cul-
pauerimus, quod cum res Armeniacas, Sarracenicas &
Turcicas passim attingat, imò etiam familiaritatem
quandam cum Sarracenis & Armeniorum Catholico
innuat, tamen non solum gentis huius Reges, sed & illo-
rum Caliphas atq̃ Soldanos alto silentio prætereat. Nec
de priore contexere mihi patrocinando ἀπολογία libet:
quando & hoc in medio est, multum semper in animis
mortalium posse, quibus à teneris innutriti sumus, quæq̃
cum ipso materno lacte suximus, imbibimus, hausimus.
Alterum quodammodo excusat Borchardi institutum.
Ne dicam Saligniacum Tom. 8. cap. 1. 4. 5. de Rom. Ec-
clesiæ hierarchia planè ^{μετὰ πάσης ἰσχύος} differere. Id quod
quidem

quidem nobis etiam ^{ἀποστολὴν} præbuit, ut indulgentiarum;
quas vocant, ab eo hinc inde factam mentionem dispu-
geremus. Quorsum enim turbidæ istæ & olidæ Pon-
tificiæ superstitionis feces fragrantibus hoc nostro seculo
iterum puris putis & lymphidis Israël, quæ cælestis do-
ctrinæ veritas est, fontibus? quo tempore Borchardus
vixerit, atq. adeo in Palestina peregrinatus fuerit, do-
cet operis sui parte 1. cap. 7. & 10. Vbi ^{διὰ τὸν ὄρειον} in monte
Gelboë se fuisse ait ann. Iesu Christi M. CC. XXCIII.
Pertinet eodem Concilij mentio à Gregorio X. celebra-
ti: quippe quod proximum nuncupet, cum ab annalibus
collocetur ad annum M. CC. LXXIII. Et rectè cum
hisce ^{ἱστορίαις} de Turcorum in Agypto Soldonatu, de
Tartarorum irruptione, de locis tum adhuc Christianis
in Palestina subiectis, coniunxerimus. Præterea de edi-
tione prima non potuimus non hic repetere, incidisse eam
in ann. M. D. XIX. & acceptam referendam cuidam
Ioanni Hosto de Romberg Kirspensi, Monacho Domi-
nicano. Hunc enim exemplo, tum nondum edito, præ-
ter plurimorum Italiæ morem, & ceu è patria proximum
heredem (nam ita Epistola eius loquitur) donarat
Chrysostomus de Casali, & ipse Dominicanus. Ac
suffragantur amplius de origine Borchardi Germanica
utriusq. epistolæ, Veneto codici præfixæ, & ita suffra-
gantur, ut non obscuram coniecturam relinquunt, banc
ad veterem Westphalorum Saxoniam restringendam.
Hæc enim Kirspam oppidum habet, indeq. illam, quam
diximus

diximus, è patria communi Hosti hæreditas. Taceo
nominis Borchardi enunciationem adhuc hodie Saxo-
nica dialecto observari. Nos tamen easdem epistolas
cum Indice, locupletissimo illo quidem, sed nimis verbo-
so, & inepta ^{ταυτολογία} pleraq. omnia repetente, omisi-
mus, quod & subbarbaræ viderentur, & præter ea, quæ
inde adduximus, & præsentī instituto sufficere pote-
rant, Gesneri testimonium in medio esset. Verum de
istis hætenus. Redeo ad te, Domine, & quod tuum esse
dixi, remitto, dedico, consecro. Nam quod de nostro at-
tulimus, parum scilicet momenti habet. Enimvero is er-
ga rem litterariam respectus tuus exquisitius aliquod
^{ἀκριβεια} merebatur. Sed minimè te fugit Salustinia-
num illud, nihil verbis opus esse, ubi rerum testimonia
assunt. Quid igitur commendare attinet, quod omnes
commendatione dignissimum esse intelligunt? Imò an
non leguntur iam antè laudes tuæ aliorum celebratæ scri-
ptis? Interea id saltem reticere indicatione nostra non
debebat, cum in auito Erxlebeniano prædio partim à te
ipso, partim à nobiliss. familia tua, te tamen auspice, hor-
tatore, monitore, instructissima condi Bibliotheca cæpe-
rit, id institutum omnibus omnium vocibus prædicari,
nec vlla unquam obliterari obliuione posse. An non enim
hoc genus meritorum & Ptolomæis & Attalicis regis
bus æternam nominis famam peperit? an non summi Ro-
manorum Imperatores & duces idem decus affectarunt?
an non

an non vel hæc nostra ætas in nationibus alijs exempla
 alia suppeditat? Perge igitur tam præclaro conatu, &
 quod auspiciato cepisti, eodem euentu perfice. Equidem
 quod tantum hætenus thesaurum patere mihi voluisti,
 & prolixo quodam studio eiusdem deinceps vsum defers,
 pro eo deuinctum me perpetuo profiteor, nec dum vita
 suppetet, profiteri desinam. Quod reliquum est, te valere,
 & ordini domuiq; tuæ, tum litterulis nostris conseruari
 incolumem & i. m. i. s. o. p. opto etiam atq; etiam. Ex Acad.
 Iulia Helmæstad. Mens. Decemb. die 24. Anno
 M. D. LXXXVI.



MELOS

MELOS
 AD
 IOACHIMVM AB
 ALVENSLEBEN, VIRVM
 GENERE ET ERVDITIO-
 ne nobilissimum.

Q Vales susurros diues inaudijt
 Hospes Canopi: cum Mareotidis
 Lagæus Heros adfluentum
 Mille libros, monumenta mille.

Sumptu profundo congereret, seni
 Morem benignè Philosopho gerens.
 Theatra quantos sustulerunt
 Attica, Cecropijq; plausus:
 Cum Pergameni nisibus æmulis
 Arsere reges, lectaq; pluribus
 Latum per orbem Gaza regnis
 Teuthraniam subiit vetustam.

Vates sonoris carmina tibijs
 Finxere leti: personuit modis
 Obscura plebes, & canores
 Edidicere Agiles Napææ.
 Iam post tot annos viuit, & vndiq;
 Rumore grato fama perambulat:
 Nec consenescet, donec orbis
 Impauidam feriant ruina.

B

Haud

WBP
 Opole

*Haud te minori Iulia barbito
 Dicet iuuentus, & citharæ sciens
 ELMANA virgo prædicabit
 Facta tuæ, IO ACHIME, gentis
 ALVONIS hæres Saxonici potens.
 Nec fama seris post genitis minor
 Notescet euge sic equestri*

*Progenie decuit creatum:
 Inæstimandis vndiq; sumptibus
 Libros cõemptos Pieridum choro*

*Donare, thesauroq; ciues
 Egregio memores beare,*

*Qui rore puro Castaliæ lauit
 Crineis solutos, pollice Lesbium*

*Poëma fingat delicato
 Delius, & Patareus Apollo.*

*Me, si qua nostris gratia tibijs,
 Iuuabit inter indigenas cycnos*

*Sancire cårmen tam benigno
 Agminis Aonij patrono.*

*M. Henricus Meibomius Acad.
 Iuliæ Professor publicus.*



REVERENDI ET DE
 VOTISSIMI PATRIS, IN
 SACRO CANONE ERVDITISSIMI,
 FRATRIS BORCHARDI, ALEMANI, OR-
 dinis prædicatorij, liber, qui inscribitur De-
 scriptio Terræ sanctæ, eidemque adiacen-
 tium regionum.

PROLOGVS.



OLIM LEGIMVS IN VETERI-
 bus historijs (vt Diuus scribit
 Hieronymus ad Paulinum) quos-
 dam lustrasse prouincias, maria
 transfretasse, vt quæ ex libris noue-
 rant, coràm posita viderent. Hac de
 causa Plato Aegyptum, Pythago-
 ras Memphiticos vates adiit, & Apollonius Persas in-
 traui, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Mas-
 sageras & extremâ penetrauit Indiâ, vt Hiarcham, in
 throno Aureo sedentem, videret audiretq; docentē. Et
 demum Aegyptû accessit, vt famosissimam Solis men-
 sam videret in sabulo. Quid ergo mirandum, si Christi
 nominis verissimi cultores terram illam, nomine ac re
 sanctam, quam Catholicæ Ecclesiæ die noctuq; Psal-
 mis alijsq; diuinis laudibus resonant, & decantant, vi-
 dere, ac totis animis lustrare affectant? Venerabantur
 Israëliti patres sanctorum sancta, eò quod illic tes-
 timonij arca, Cherubim cum propiciatorio, manna
 & Aaronis virga, quæ floruerat, diuino instituto recõ-
 dita seruabantur, vt in sacro legimus Exodi libro: quæ

Magi.

nempe omnia, Diuo Paulo attestante, nil aliud quam umbra existebant futuri. At apud pias fidelesq; mentes longè amplius venerandum & colendum est CHRISTI IESV sepulchrum, cuius gloriosa morte, de morte triumphamus: illius est siquidem virtutis deuotissimum hoc sepulchrum, vt quotiens quis mundo corde ingreditur, totiens findone circumvolutum interno intuitu videat humani generis Saluatorem: paululumque progrediens, per grande illud Saxum reuolutum aspicit, & Angelum nixeo candore decorum, blanda luce fulgentem, piissimas mulieres alloquentem, eisdemq; sudarium & linteamen ostendentem. Quis his visis adeò vecors & ferreus, qui non anhelet gloriosam & omni seculo benedictam visere Bethleem, diuino ac virgineo partu celebrem? contemplaturus humanatum Deum, puerum tenellum in præsepio, despicabili loco, & duro, pro nobis vagientem: purissimam Mariam virginem in diuersorio parientem sub rupe concaua, quæ vsq; hodie dum cernitur, lachrymæ & ex alto corde suspiria erumpunt. Quid suauius, quid iucundius animæ fideli, cui non nisi cœlestia sapiunt, quàm animo reuoluere, Angelicas illas & beatas mentes, pastoribus euangelizare gaudiū magnum, quomodo natus est perditī hominis Saluator ac decantare gloriam in altissimis Deo & pacē pacificæ voluntati: intueri tres Magos maiestate præclaros, & Chaldæorum sapientia refertissimos, ab oriente, Bethlehem stella duce aduentantes, qua religione & latria proni ruant ante præsepe, non habens tectum desuper, sed ipsam tantum rupem prominentem? Reuertatur deinde fidelis quisq; in sublimen Ierusalem, vbi Dei maximi filium Iesum, in templo differentem, decla-

delegantem, sæpeq; inuidos & hypocritas arguentem, videat audiatq;: In Oliuarum monte charos & simplices discipulos erudentem, in monte Sion antiquo more pascha celebrantem, Diuinum prorsus Eucharistiæ ministerium instituentem, mansuetudinis amatorem & pedes delicatissimis manibus lauantes: In Gethsemani iam fatigatum IESVM, patrem suum obnixius orantem, sanguineo sudore conspersum, nefarium Iudam diuinis labijs oscula imprimentem, mitissimum veluti innocentem agnum, captum loris durissimis vinciri, vinctum impetu trahi, despectissimè illudi, irrideri, flagellis cædi, cospui, acerrimis spinarum sertis coronari: Immeritisimè iudicatum, cruci addictum, grauem nimis & trucem humeris illis, quibus vtriusq; hemisphærij molem seruat & sustinet, crucem deferentem: sub crucis insupportabili pondere, in ipso ciuitatis exitu, pro nobis certè ingratis deficientem: Cyrenæum Simonem succedentem, & in Caluariæ loco totius humani generis redemptionem piissimæ passionis suæ mysterio celebrantem. Omnium horum ita euidens ac plena adhuc extat memoria, veluti si hac die contigissent. Nempe in ipsa Ierusalem tot sunt Dominicæ passionis actus gestisq; loca insignia, vt nulla etsi longissima dies sufficiat singulis perlustrandis. Sunt præterea quàm plura in regionibus illis, quæ bonis ac optimè dispositis animis ampliore generant deuotionis affectum. Quis enim etiam facundissimus enarrare valeat? quot Anachoretæ, quot Monachi, & castissimæ virgines, de Georgia, Armenia vtraq;, Chaldæa, Syria, Media, Persia, India, Aethiopia, Nubia, Nabenia, Græcia, aliarumq; nationum, cateruatim centeni, ducenteni, plus

Orientali-
um Chri-
stianorum
religiosi
gestus.

Auctoris
exclama-
tio.

minusue procedentes in spiritu vehementi genua fle-
ctunt, connexas manus eleuant, oculos ad cœlum ten-
dunt, terram sanctam proni osculantur, seu verius præ
dulcedine cordis lambunt, venerantur, adorant
quemcunq; locum, in quo dulcissimum Iesum stetisse,
sedisse vel quippiam operis egisse percipiunt. Nunc
palmis pectora tundunt, nunc profundos gemitus
emittunt, nunc in profusos fletus se soluēt, adeo quod
gestu corporis, & longanimitate, deuotionem intus se
habere comprobantur, quam foris præ se ferunt, ita
vt in lachrymas plerunq; deducant etiam infideles
Sarracenos, qui detestandum Mahometh adorant, &
prædicant. Heu fortissime Deus, intueor iuxta sacram
historiam patrem Abraham, patriam suam, patris do-
mum & cognationem, tuo mandato deferere, ad ter-
ram hanc sanctam, quam sibi ostendisti, festinare. In
Bethel & Hai tabernacula fixit, in Geræris, Bersabee
& Hebron commoratus est. Video, æterne Pater,
Ezechielem in Babylone captiuum, super Babylonis
flumina ascendere, & vt repetat dilectam Ierusalem,
lachrymabili voce implorare. Video vnigeniti tui
purissimam matrem non contentari latis speciosisq;
Galilææ campis, sed licet ex Angelica saluatione sci-
ret, ex virtute ex alto se concepisse, statim cum festi-
natione Iudeæ montana conscendit, affectans supe-
rioribus propinquare. Video patrem Iacob, eiusq;
filium dilectissimum Ioseph, cuius gratia in Aegyptū
peregrinaturus descenderat, qui prauidentes se in hu-
manis agentes non repetituros, hanc sacram patriam,
saltem vita functi illic sepeliri elegerunt, sicq; posteris
suis demandarunt. Verum hac nostra tempestate,
quam penitus miseram & insipientem censeo, ingemi-
scen-

scendum mihi est, deplorandaq; est vilissima Christia-
næ Reipub. tarditas, quæ etsi ei, tot & tanta præsen-
tent sanctorū patrum exempla dietim, tamen pigritat
& negligit de manu & tyrannide Prophanorū eruere
terram illam, quam Iesus, mundi Saluator, innocenti
sanguine fuso consecrauit, quam Orthodoxa fides in-
defessè & prædicat & extollit. Quæ enim diei aut no-
ctis hora per totum anni circuitum, inquam non me-
morentur cantando, legendo, psallendo, concionan-
do & meditando acta, vel literis sacris demandata, hu-
ius sanctissimæ plagæ, quam diuina eloquia promif-
sionis terram egregiam meritissimè nuncupant? Ve-
rū animaduertens quā plures Christi fideles sum-
mopere affectantes, vt terram hanc sanctam, quam
per decennium pedibus his calcaui, pertransui, dili-
gentissimè notaui, describerem more Geographi, me-
cum reputans, id perutile fore, non modò ad excitan-
dum deuota in Saluatorem corda, sed vt de locis, vrbi-
bus, montibus, fluuijs, oppidis, alijsq; multis, in veteri
nouoq; Testamento sæpe sapiusq; repetitis, sufficiens
habeatur noticia, quantū meæ suppetunt vires descri-
ptionem ipsam conficere proposui. In hac verò descri-
ptione te inprimis certum reddo, optime Lector, quod
nihil continetur, nisi quæ oculis contemplatus sum, aut
si quæ fuerunt à me ipso inaccessibilia, tum feris, tum
mari mortuo, tum asperrimis montibus, in his ab inco-
lis, & illius regionis veteranis habitatoribus, quantum
potui, eruditus sum. Et quoniam omnis ordinata de-
scriptio ab aliquo principio, quod pro centro sit, exor-
diri necesse est, aliter imaginatione concludi minimè
posset: ideo * Achonensem urbem, antiquitus Pto-
maidam dictam, pro centro mihi statui, etsi non in me-
dio terræ sanctæ, sed in occidentali eius termino supra
mare sitam.

Infectio
sui seculi.

Decennalis
peregrinatio.

Beboia
orig.
* Plinius
lib. 5. cap.
19. quon-
dam Acen-
post Pto-
maidem
dictam,
scribit.

Addantur
quam Sui-
das tradit
in uoce
Protraxi Ace.

Intentio.

Protraxi igitur ab Achon lineas rectas quatuor, ipsius orbis quatuor punctis, orienti, occidenti, septentrioni & meridiei correspondentes, quibus totus terræ orbis in quatuor sectiones partitur, quarum quamlibet in tres iterum partitus sum, ut iuxta duodecim ventos disponantur. In vnaquaque autem partitionum, loca sua & oppida & vrbes, in scripturis sacris tum antiquis tum nouis famosiores, descripsi, ut cuiuslibet situs & dispositio, quem ordine retineant, in vniuerso de facili comprehendatur.

Quantum verò conferat hic labor meus ad diuini canonum interpretationem & doctrinam capefcendam, tibi periculum facies, chare Lector, si huiusmodi studium te oblectauerit.

Explicit Prologus.



PARTI-

PARTITIO REGIO- NUM, TERRAE SAN- CTÆ ADIACEN- tium.

CAPVT PRIMVM.

P Rincipio sciendum, terram, quàm dicimus sanctam, esse, quæ duodecim tribubus partita est ab inuicibilissimo duce Iosua, teste libro Iosue à cap. 15. vsq; ad 20. Huius terræ pars vna, regnum Iudæ nuncupabatur, continens sortem duarum tribuum, Iudæ & Benjamin. Pars altera Samariæ regnum, quæ decem tribuum caput, & regni sedes existeret, nunc dicta Sebastæ, regnumq; Samariæ in scripturis regnum Israel nominatur. Inde reges Iudæ, regesq; Israel processere, post sapientissimi Salomonis moderamina, teste lib. 3. Regum cap. 12. Vtrumq; autem regnū illud cum Philistæorum toto dominio est ea quam & sacre scripturæ, & mundi Cosmographi Palæstinam vocant, quæ extat pars magnæ Syriæ, sicut Lombardia & Tuscia ipsius Italiae. Quod ut euidentius pateat, scito plurius reperiri Syrias variè quidem nominatas. Tota siquidem plaga à Tigri flumine vsque ad Ægyptum, communi nomine Syria nuncupatur. Portio eius prima Mesopotamia dicitur, inter Euphratem & Tigrin sita. Protenditur in longum ab Aquilone in Austrum à monte Tauro ad mare rubrum, in se continens has nationes, Parthos, Medos, quibus ab Aquilone copulatur Chaldæa, in qua est illa celebratissima Babilon, locus captiuitatis tribus Iudæ sub arrogantissimo Nabuchodonosor. Ab Austro adiacet Arabia usque ad mare rubrum, quod illis in locis Sinus Arabicus uocatur. In eadem, ut Aquilonem respicit, situat Edessa ciuitas, antiquius dicta Rages Medorum, hospitium Tobiae maioris, ducti in captiuitatem. Afferunt quidam rationem, qua congruè existimant, hanc partem Syriæ Mesopotamiam appellari, eo scilicet, quia est medians inter aquas, quæ sunt Tigris & Euphrates.

Secunda Syriæ magnæ pars Cælesyria nominatur, cuius initium est a flumine magno Euphrate ad riuum Vallaniae, cuius
C
decurfus

TERRA
sanctaque

Palæstina.

Consulendi
Plinius lib.

5. cap. 12.

Mela lib. 1.

cap. 6.

Orosius lib.

1. cap. 2.

Cælesyria.

Phoenice.

Damascena.

Palestina.

Arabia.

decurfus est sub caſtro Maragd: ingreditur autem mare magnum, id eſt mediterraneum iuxta Vallaniæ villam, leuca vna diſtante à prædicto caſtro. Celyſyria complectitur Antiochiam cum ſuffraganeis vrbibus ſuis, & Laodiceam & Apameam, aliasq; plures. Tertia pars eſt Syria Phœnices, cuius principium ſumitur à riuo Vallaniæ ex Aquilone, protenditurq; contra Auſtrum vſq; ad petram inciſam ſub monte Carmelo, qui locus tempore noſtro Peregrinorum caſtrum dicitur, eſtq; ſub ditione militiæ templi. Syria Phœnices comprehendit Maragd, Antoradum Tripolin, Berytum, Sidonem, Tyrum, Achon & Capharnaum. Quarta pars, Syria Damafci appellatur, eò, quòd Damafcum, vt Dominiſedem continet. Ab alijs Syria Libanica dicitur, eò, quòd Libanus, mons delicious & egregius, in ea ſituatur. Quinta pars magnæ Syriæ eſt Palæſtina dicta, quam deſcribere intentionis noſtræ eſt. Hanc tamen ſubdiuidere prius, inutile non erit. Igitur Palæſtina in tres portiones partitur: Prima eſt, cuius Metropolis eſt ſancta Hieroſolyma, continens omnes colles & montes eiufdem, cuius extenſio eſt vſq; ad mare mortuū, deſertumq; Cadesbarne. Secunda eſt, cuius metropolis eſt Cæſarea maritima, hæc amplexatur totam Philifteorum regionem, originem capiens à Petra inciſa, quæ & caſtrum peregrinorum dicitur, vſq; Gazam, Philiftijm urbem, tendens contra meridiem. Tertia eſt, cuius metropolis exiſtit Bethſan, ſuper Gelboë monte conſtructa, iuxta Iordanem fluuium. Hæc antiquitus Scythopolis dicta fuit. Hæc propriè Galilæa, ſiue campus magnus Elſdrelon, qui & Maragdo, nuncupatur. Arabia ſimiliter in tres partitur: Partis primæ, metropolis eſt Boſra, quæ nunc Buſereth, olim Perſa. Eidem copulatur ab occaſu Trachonitis regio, & Ithuræa. Damafcus autem ferè à Septentrione, qua de cauſa Syria Damafci, nonnunquam Arabia nominatur, præpter quod Aretas, rex Arabiæ dictus eſt, cum tamen rex eſſet Damafci. Secundæ partis metropolis eſt Petra vrbs, olim Nabath dicta, ſuper Arnon torrentem ſita. Pars hæc continebat filiorum Ammon dominium, etſi Arciuitas ex Moab dominio exiſteret. Item complectabatur regnum Seon, Eſebon, regnum Baſan ac Galaad montem, copulaturq; primæ parti Arabiæ ab Auſtro. Tertiæ partis metropolis eſt Mons regalis, qui nunc Carach,

rach, antiquitus Petra deſerti dicta fuit, ſupra mare mortuum conſtructa. Pars hæc continet terram Moab, quam & Syriam Sobal ſcriptura appellat, conſinet & totam Idumæam, ſiue Seir montem, omnemq; regionem circa mare mortuum, vſq; Cadesbarne, & aquas contradictionis, verſus rubrum mare per altiſſimas & ſerales ſolitudines, vſq; ad magnum Euphratem. Hæc eſt * Hic ui- Arabiæ magnæ pars, in qua Mecha eſt ciuitas, deſtabilisq; Ma- xit Frideri humeth ſepulchrum. Hactenus de ſitu regionum, Terræ ſanctæ c. II. Cæſa- adiacentium, dixerim ſatis. Animaduertaſq; deuotiſſime Lector, ris tempo- que à me deſcripta ſunt huc vſq; non ex mea merè ſententia pro- ribus. Vide ceſſerunt, ſed ex libro venerabilis ac doctiſſimi Patris, Domini * Trithemi Jacobi de Vitriaco, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legati in Terra deſcripto- ſancta, excerpta fuerunt. Cæterum ad veridicam, ſicut iam pol- ribus Ec- liciti ſumus, Terræ ſanctæ deſcriptionem, ſtylum vertamus. cleſiaſtic.

PRIMA DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ VER- ſus aquilonem.

CAPVT II.

TERRAM ſanctā, vt propoſitum eſt, in quatuor portiones diui- dimus, quatuor coeli plagis corſpondentes, Ortui, Occaſui, Arctico & Antartico: licet portio eius tota occidua ad medi- terraneum mare ſe vertat. Incipiam ergò primò recta linea ab Achon, antiquitus Ptolemaida dicta, verſus arcticum progredi- ens, vrbes, locaq; notiora deſcribens, in magni maris, id eſt, medi- terranei littore diſpoſita.

DESCRIPTIO ACHON ſ. 2.

PRIMUM igitur deſcriptionis initiū ſumo ab Achon, recta linea procedens verſus Tyrum, inde ad alias vrbes, in hac portione aquilonari contentas. Achon ciuitas, muniſſima eſt parietibus, turribus, propugnaculis, vallo, alijsq; eleſtis deſenſorijſ, triangulā ſortita figuram more clypei, cuius partes duæ cinguntur mari, ter- ria planitiæ reſpicit, qua circumdatur. Planities illa latitudinis eſt

Sacra militia ordinata.

Cifon.

trium leucarum, & alicubi quidem plus, alicubi verò minus. Admodum fertilis est in agris, vineis, pascuis, viridarijs: quæ diuerforum generum fructibus lapidissimis ornatur, est & munita militia multa. Hospitalis, Templi & domus Teutonicæ, & arcibus & castris, siue fortalicij, quæ ad Regem spectant. Portum turrisimum & amplum pro locandis seruandisq; nauibus habet. Sitae est in Phœnices Syrii prouincia, ab Austro habens Carmelum montem ad quatuor Leucas & urbem, Calpham nuncupatam, in pede eiusdem montis constructam vltra torrentem Cifon, vbi sanctus ille Propheta, Helias, idolatras, Baal sacerdotes, interemit. Postremo scias, studiose lector, quod Achon nunquam fuit, terræ sanctæ annexa, nec Israëlita possederunt eam, etsi in distributione terræ promissionis tribui Aser designata fuerit. Hæc est illa Achon, dicta Ptolemaida, de qua sic legimus in 1. lib. Maccabæorum cap. 10. Et anno centesimo sexagesimo, ascendit Alexander, Antiochi filius, qui cognominatus est nobilis, & occupauit Ptolemaidam, & regnavit illic.

* *Litera hac initiali auctori denotatur uox: descriptio.*

D. * LAMPERTI CASALIS ET
castri Sandalij §. 3.

AB Achon trium leucarum interuallo est Casale Lamperti, adiacens mari sub Saron monte constructum, vineis similiter & viridarijs fructiferis, fontibus & fluuijs decoratum. Inde pertransito Saron monte tribus Leucis inuenimus sandalium castrum, ab Alexandro obsidente Tyrum constructum, iam dirutum & deuastatum, sed Balduini, Ierusalem regis, opera instauratum, quod nobilibus, inde denominatis, tradidit possidendum. Hic prata amœnissima, pingua pascua, ficeta, oliueta, vineæ, flumina, viridaria quàm plurima existunt. De his nihil inuenimus in scripturis sacris vtriusq; legis.

D. PVTEI AQVARVM VIVENTIVM,
quæ fluunt impetu de Libano §. 4.

ASandalij castro per Leucam, parumq; super, puteus est ille. Mirabilis viuientium aquarum, iuxta viam petentibus. Tyrum

Tytum per iactum arcus, cuius aquæ ex canticis Salomonis cap. 4. fluunt impetu de monte Libani. Nolo tamen te latere, studiose Lector, etsi puteus singulari numero dicatur, verè tamen sunt 4. eiusdem dispositionis, at inæquales magnitudine. Nam qui inter 4. præcipuus est, 40. cubitorum est longitudinis, latitudinisq; vt ego ipse metitus sum, vendicans sibi figuram tetragonam. Tres reliqui 25. cubitos obtinent earundem dimensionum, parietibus solidissimis ex lapidibus optimis, & opere indissolubili circumdati, in altitudine vnus hastæ & amplius. In eis adeò aggregatur aqua, & eleuatur, vt vndiq; extra parietes defluat. At tamen ibi sunt aquæ ductus, per riuulos dispositi inde descendentes, tantæ profunditatis, tantæq; latitudinis, quanta est hominis altitudo, cuius rei me ipso periculum feci, ingressus canale, quo fluit aqua, & pedibus stans. Deducuntur aquæ per Tyri totam planiciem, irriganturq; affluenter viridaria horti Canamelle, illic plurimum copiosæ, ex quibus Tyri princeps annos redditus in gentes recipit. Distant præscripti fontes à magno mari mediterraneo iactu arcus, & modico amplius, quorum defluxu ex breui interuallo rotantur sex molendini rotæ magnæ latitudinis, & cum in mare se recipiunt, continuò absorbentur. Fontibus his non abs re conuenit illud Ecclesiastici cap. 24. Rigabo hortum plantationum mearum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.

D. TYRI §. 5.

APuteo aquarum viuientium minus Leuca distat Tyrus, vrbs ¶ *Alter*
celebratissima in vtriusq; legis scriptura, à Tyras, Iaphet *Iustinus li.*
filio constructa post Diluuij magni inudationem, sed a Phœnice 18. Adde *in super, 7.*
instaurata, propter quod & Syriæ Phœnices metropolis constituta est. Solidissimo & lato pariete circumdatur, ac iudicio meo *Gallinus*
Achonenfi vrbe, amplior, figuram obtinet circularem in corde *habet lib.*
maris sita super firmissimam rupem, omni parte mari cingitur, 14. cap. 6.
excepto vrbs fronte contra solis ortum, vbi opera Nabuchodonosor primò deinde Alexandri terræ effecta est contigua, quan-

tum est lapis iactus. Sed & ex ea parte quadruplici pariete miræ densitatis altitudinisq; cingitur ad 24. pedum spacium. Insuper parietes illi muniti apparent 12. turribus, quibus similes in toto orbis circuitu me vidisse non memoror: turribus ipsis arx fortissima siue castrum continguatur, in rupe, in cordeq; maris firmatum, turribus similiter & palatijs regijs structum, quæ toti mundo meritò inexpugnabilis existimari deberet. Plures in Tyro seruantur sanctorum venerandæ reliquiæ, auro chariores, vt refert Ecclesiastica historia, præsertim fortissimorum Martyrum, qui sub Diocletiano gloriosa morte testantes catholicam fidem, æternam assecuti sunt coronam, quorum numerum nouit solus ille, qui omnia in numero constituit. Origenes in Tyro in sancti sepulchri

*Monumen-
tum Origenis.* Ecclesia iacet, pariete conclusus, cuius titulum & vidi & legi. Columnæ marmoreæ, alijsq; preciosi lapides, ibi sunt tam mirandæ magnitudinis, quod videntibus stupor insurgit. Archiepiscopalis illic sedes est. Est enim, vt diximus, Phœnices Syriæ metropolis, habens suffraganeos Episcopum Beryti, Sidonis & Achon:

*¶ Vide C.
lib. II. tit.
21.* protenditurque metropolis hæc vsque ad Petram incisam sub monte Carmelo, quæ & castrum peregrinantium dicitur. Decem dierum spatio moras protraxi in Tyro, pluriesq; eam urbem & dispositionem considerans, diligentia omni notavi. Ante eiusdem urbis ianuam, ad ortum sitam, iactu duarum sagittarum, inter copiosissimas & spaciosas arenas, ostenditur IESV CHRISTI prædicationis locus, vbi & mulier illa exclamauit: Beatus venter, qui te portauit. Lapis magnus ibidem apparet, super quem stans Saluator aliquando, & sedens declamabat, & populos docebat. Locus ille nunquam sub arena occultatur, etsi leuis minutissimæq; sit, soleatque vento agitari, circumferri, & in cumulos reduci, veluti nix hyemali tempore flante Borea in partibus occiduis. Est & in eodem loco columna quædam in longum strata, vbi famosum est, peregrinos quosdam illac transeuntes, ab infidis & pessimis Sarracenis fuisse necatos. Hæc de Tyri descriptione satis. De qua sic memoratur Ezechiel cap. 17. O Tyre, tu dixisti, perfecti decoris ego sum, in corde maris sita.

D. ELEV.

D. ELEUTHERI FLVMINIS. §. 6.

A Tyro ad tres leucas admodum breues Eleutheros flumen mari recipitur. Procedit ex Ithuraea, siue Galilæa gentium, ex confinio, quod olim Roob terra, & prius Rabul: profluitque iuxta castrum dictum, Belfort, quod extitit militiæ templi iuxta Belfort. Horma, vsquequò inclutus Iosue dux Israel 24. Reges insecutus est. De Eleuthero flumine sic legimus in libro primo Maccabeorum cap. 11. Et abiit Ionathas cum Rege vsque ad fluuium, qui vocatur Eleutheros, & reuersus est in Ierusalem.

D. SAREPTÆ SIDINIORVM. §. 7.

A B Eleuthero fluuiio, interuallo duarum leucarum, est Sidoniorum Sarepta, in qua, vt legimus lib. 3. Reg. cap. 17. apud viduam habitauit Helias Propheta, ab eadem sustentatus, cuius filium ad vitam reuocauit, ostenditurque cænaculum illic, in quo idem Propheta quieuit. Sarepta hoc tempore vix 8. domibus constat, cuius tamen ruinæ & defectiones, gloriosam extitisse, declarant.

D. SIDONIS. §. 8.

A Sarepta ad duas leucas extat Sidon, vrbs præclara Syriæ Phœnices, cuius gloria & celsitudo, quanta fuerit, ipsæ ruinæ docent, quæ etiam descriptæ, incredibiles ferme haberentur. Constructa autem erat in planicie, extendens se ab Austro versus Aquilonem inter Antilibanum montem, & oram maris, sub monte siquidem ipso in plano disposita, spaciosa erat valde. Et quidem destructionem eius annunciatam sic in Propheta Ieremia legimus cap. 23. Dissipabitur Tyrus & Sidon cum auxilijs suis. Et in Ezechiele cap. 26. Ecce ego ad te Sidon, dicit DOMINVS. Immittam enim pestilentiam & sanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum, & scient, quia ego Dominus. Ex reliquijs Sidonis antiquæ, alia quidem, sed parua ædificata est vrbs, admodum munita, & vallata, si defensores adessent,

adessent, estq; ex vna parte in corde maris sita, habens duo munitissima castra, vnum quidem ab Aquilone super rupem in corde maris firmam & complantatam, à peregrinis, ex Teutonia proficiscentibus Ierusalem sanctam, ædificatum: Alterum in Australi parte super collem, & non minus firmum, ac difficile ad expugnandum. Castra quidem hæc & urbem detinent milites tem-

Templarij. pli. Terra autem adiacens vberissima est, omnibus bonis referta, aëre saluberrima. Illic canamellæ, vineæq; deliciosæ nimis. Ante Ianuam antiquæ Sidonis ad ortum, constructa existit capella in loco, vbi Chanaanæ, pro filia dæmoniacæ precata est Saluatorem. De qua sic legimus Matthæi cap. 15. quod egressa à finibus Tyri & Sydonis, venit ad Iesum. Locus ille est in via, qua tenditur Ithuræam Cæsareamq; Philippi. Antilibanus mons, per Leucam, versus orientem, ab antiquæ Sidone distat. Mons ille exordium capit supra Eleutherum fluvium, protenditurq; ultra Tripolim, circiter 5 leucis, nisi iuxta Tripolim, vbi verè distat tribus leucis, interdum tamen ita ad mare accedit, quod locus est omnino meabilis. Antilibanus mons consitus est optimis vineis, secundum illud memorabile eius: Vt vinum Libani; extenditurq; huius vini preciositas vsq; Maragd.

D. BERYTI §. 9.

Procedenti ultra Sidonem nouem Leucis offertur nobilis & antiqua Berytus ciuitas, in qua famosum est, Saluatorem nostrum declamasse & docuisse. Illic Iudæi cæci, ex inuidia agitati, imaginem Iesu benedicti in cruce pendētis ex farina & aqua confixerunt, cui illudentes, eam demum crucifixerunt, sanguinis ab ea copia magna effluxit, qui in tempestate nostra pluribus in locis sacris maxima deuotione colitur. Beryti Episcopus, sicut & antiquæ Sidonis, suffraganeus est Episcopi Tyriensis, cuius metropolis ultra tres Leucas in flumine, passus canis nuncupato, quod & ibidem vastum mare ingreditur, terminari mihi significatum est. Eodem in loco finis statuitur patriarchatus Ierosolymitano & Antiocheno, comitatuq; Tripolitano. Situs loci sic dispositus est, vt ferè sit impetranibilis, nisi accedente assensu Sarraceno-

racenorum. Ad eius siquidem custodiam & defensionem pauci sufficiunt, ideo ob difficultatem Passus canis nuncupatus est. De Passus canis Beryti nobilitate & constructione nullam in sacro eloquio mentionem reperio, excepto eo quod legimus in libro Iudicum cap. 9. sic ibi scribitur: Ingressi sunt fanum Dei sui Berith: & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.

D. BYBLII §. 10.

ABeryto ad sex leucas supra mare tendimus Byblium, quod est Patriarchatus Antiocheni ciuitas prima: post Antiochiam Byblii dominator est Comitatus Tripolitani vasallus. Diebus nostris non Byblium sed Giblet appellatur. Estq; vrbs admodum parua. Byblium allegatur ab Ezechiele in commendationem Tyri cap. 31. Senes Byblii & prudentes eius habuerunt nauas in ministerium variæ supeltilis tuæ.

D. BOTRI VRBIS ANTIQVÆ §. 11.

Vltra Biblium ad quatuor leucas fuit Brodum, opulenta nimis quondam ciuitas, sed nunc penitus euerfa defecit. Botrum æstimatur dicta fuisse ex preciosissimo vino, quod in ea regione producit, & ubiq; ex sua virtute celebratur. De Botro in sacro canone nihil describitur.

D. NEPHIN CASTRI §. 12.

EX Botro ad castrum Nephin interiacet trium leucarum spatium. Est inter maris vndas constructum ferè secundum se totum: possidetur ab Antiocheno Principe. In eo 20. excelsas & munitissimas turres numeravi. Vinum illic productum adeo nobile censetur, vt supra omnia earum regionum vina laudem obtineat. De Nephin in sacris scripturis nihil habemus.

D. TRIPOLIS §. 13.

EX Nephin castro mensis duabus leucis, contuli me Tripolim, nobilem quidem valde, & ferè totam in corde vasti pelagi

pelagi ædificatam, veluti Tyrus admodum populosam. Inhabitantes enim eam Græci, Latini, Armenij, Maronitæ & Nestoriani, *Vistela se- aliæq; diuersorum morum nationes. Sericum illic plurimum abundat, fiuntq; ex eo artificia multa, & preciosa ac decora visu. rica.* Fida relatione habui, quod in ea serici & zameloti textores sunt quatuor millia & supra. Regionem adiacentem deliciarum paradysum appellare non inconuenit ob innumeras amœnitates in vineis, oliuetis, ficulneis & camellis, quibus omnibus similia in reliquis mundi partibus me vidisse non memoror, etsi plures annos in varijs prouincijs peragrandis consumpserim, præsertim in Orientali plaga, in qua nobiliores effectus ex syderum efficacia produci creduntur. *Orientalis* Campus ante urbem longitudinem *plaga nobi* continet vnius Leucæ, latitudinem verò dimidia, in quo viridaria ordine miro disposita sunt, & in tanto numero, totq; fructus inde annuatim percipiuntur, quod dominis suis trecenta millia *litas.* Byzantiorum ex auro valent. ¶ Libanus tribus Leucis à Tripoli distat, in cuius humiliori parte ortum habet fons hortorum, fluens impetu de Libano, vt scribitur Canticorum cap. 4. *Fons hor-* Fons hic in suo ortu exiguus apparet, sed modico interiecto spacio aded inualefcit, quod flumen magnum efficit in planicie Tripolis, hortos irrigat, & Libanum montem plurimum commendat. Aquæ eius lympidissimæ, dulces, frigida & salubres exsunt: super eius riuos Ecclesiæ multæ, pluræq; religiosa loca constructa reperi. Oritur, vt dixi, ex Libani radice, & pro aliqua sui parte montem Leopardorum circuit, inde per hortos deducitur, gratia irrigandi. Sextus in tribus riuus magnis profectò mari se recipit, præter riuos alios minores, quidem, qui diuersis locis maria petunt. Et de hoc præclarissimo fonte puto verum esse, quod in Hester capitulo nono dicitur: Fons paruus creuit in flumen maximum, & in aquas multas redundauit.

D. MONTIS LEOPARDORVM.

§. 14.

EX Tripoli ad duas leucas situatur Leopardorum mons, aspectu figuræ sphericæ in altitudinem se tollens, à Libano distans

stans per leucam. In eius basi aquilonari specum reperi, in quo monumentum constructum est 25. pedes habens in longitudine, quod Sarraceni colunt & frequentant, suadentes sibi, illud esse magni Ducis Iosua. Sed procul dubio falluntur. Legimus enim in lib. Iosua cap. 24. Sepultum fuisse in finibus possessionis suæ in Tamnat sar, quæ sita est in monte Ephraim à Septentrionali parte montis Gaas. Ego quidem suspicor, monumentum illud fuisse Chanaan, filij Cham, filij Noë, vel alterius filij eius, eò quod in hac regione protraxerunt plurimum vitæ tempus, vt infra declarabitur. Interuallo trium leucarum contra Aquilonem ex præfato specu mons Antilibanus, & Libanus terminantur. De Leopardorum monte sic legimus Canticorum cap. 4. Coronaberis sponsa de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

DESCRIPTIO ARACHAS castri §. 15.

IN terminos Libani & Antilibani offendimus castrum Arachas, ab Arachæo, filio Chanaan, exacto Diluuiò constructum, & suo nomine denominatum. Regio hæc, & præsertim vbi Libanus finem habet, speciosa est & fertilis plurimum, de cuius situ & longitudine loquemur, cum ad Cæseream Philippi & Iordanis originem intentionem conuertemus.

D. OPPIDI SINON SIVE SINOCHIN. §. 16.

AB Arachas castro, media leuca ad orientem, extat Sinon oppidum, à Sineo, Chanaan filio, Arachi fratre, post Diluuium constructum. Scito tamen, Nestorianum quendam, ibidem incolam, mihi certa notitia asseruisse, non Sinon at Sinochin appellari. Idem mihi & Sarracenus quidam affirmavit. Sub Sinochin & Arachas planicies amœna deliciofa & fertilis valdè, vsque Carath castrum, quod Hospitalis sancti Iohannis possessio fuerat, extenta est, decem leucarum longitudinem habens vsque Antaradum, qui nunc Tortosa nuncupatur. Planicies hæc casalibus multis habitatur referta pulcherrimis

Turcimanni.

Beduini.

Vanani.

¶ Infrà & Christiani nominis inimica. Nam Christianos insequuntur, part. 2. ca. depopulantur & perimunt.

7. § 8. uo=

cat Vha-

nos.

rimis syluis oliuarum, ficuum, aliarumq; diuersi generis arborum quibus similes in occiduis partibus paucissimas vidi. Exuberat præterea fluuiatibus & clarissimis vndis, pascuisq; electis, hac de causa: Mædianitæ & Turcimanni, & Beduini, illic in mapalibus habitant cum vxoribus, filijs, seruis, pecoribus & camelis suis. Contigit mihi transeunti gregatim videre plura camelorum millia. Planiciem hanc cingunt montes quidam, ab oriente non multum lati, qui iuxta Arachas initium capiunt, protendunturq; vsq; Baracha. Montes hos habitat genus quoddam Sarracenorum, qui Vanini appellantur, gens fera, pessimorum morum, ¶ Infrà & Christiani nominis inimica. Nam Christianos insequuntur, depopulantur & perimunt.

D. ANTARADI ET ARADI §. 17.

EX Arachas & Sinochi, dimensis octo leucis, veni in Antardum, per planiciem præscriptam. Antaradus quidem dicitur, quasi ante Aradum. Est enim Aradus insula maris, media Leuca distans à terra, in qua ciuitas electa quondam fuit, nostrisq; duobus adhuc extat, imminuta tamen, quæ ex insula nomen traxit, vnde Aradus dicta fuit. De Arado sic loquitur Ezechiel cap. 27: Filij Aradij super mores tuos cum exercitu suo. Conditor Aradi creditur Aradius, Chanaan filius, post Diluuium. Intellige igitur, studiose Lector, Cham, Noë filium, genuisse Chanaan, & Chanaan genuisse, vt legimus in libro Genesis cap. 10. Sidonem primogenitum, Hethæum, Iebusæum, Amorrhæum, Gergesæum, Heuæum, Arachæum, Sinæum, Aradium, Summaræum & Hamathæum, & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. Hæc ibi. Ex his vndecim, Sidon primogenitus Sidonis vrbs constructor fuit Arachæus Arachas castri, Sinæus Sinochin, Aradius Aradi. Hi quatuor terram hanc & regionem sibi elegerunt contra principium Libani. Reliquos dimisit Deus maximus inter filios in Israel, vt arte præliandi exercerentur. Pyramides, sub quibus prædictorum quatuor disposita fuere monumenta, apparent etiam hodie circa Antardum ad Leucam vnam, strues profectò magnifici sumptus mirandæq; magnitudinis illic lapides connexi

Pyramides
des sepulchrales.

connexi fuere. Nam mensus sum lapides longitudinem continentes 26. pedum, similiter latitudinis tantundem, profunditatem verò ad staturam magni hominis, adeò quòd miraculum ac stuporem præsentant peregrinantibus, quomodo eleuari, in ædificioq; huiusmodi collocari potuerint. In Antarado Amplis: Petrus diebus multis de fide, de lege gratiæ, de humani generis reparatore declamauit, & docuit. Ibi Clemens genitricem sibi carissimam inuenit, ibi Apostolus Petrus primam in honorem Christiferae virginis Ecclesiam construxit, quæ & hodiè permanet, in qua ego licet indignus eiusdem seruus, sacrificium Deo acceptabili obruli. Nam ibi sex diebus quieui, eò quòd iterum ac peregrinatum asperitate defatigatus essem, & affectabam de illis regionibus erudiri.

D. MERGATH CASTRI §. 18.

AB Antarado septem leucis distat castrum Mergath, * quod sub dominio est Fratrum hospitalis sancti Ioannis, super Vallaniam, distans à mari per leucam, munitum valde. Et Vallania ad euincendum Sarracenorum insultum, in castrum est translata Vallaniæ Episcopus est Apemienfis Archiepiscopi suffraganeus. Incipit ibidem Antiochenus principatus, terminatur autem comitatus Tripolitanus. Distat dietis octo ab Achon, ab Antiochia autem dietis quatuor. Et licet vltra profectus fuerim in regione hac, diligenter singula contemplans, tamen de ipsa nihil à me scriptum erit. Non enim proposui, nec meæ fuit intentionis, aliquid de ea conscribere, sed tantum de promissionis terra, quam sanctam vocare consueuerunt scriptores.

* Melæ
Marathos,
Vallania.

SECUNDA DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ VER- sus Boream.

CAPVT TERTIVM.

D 3

D. CA-

D. CASTRI MONTIS FORTIS §. 1.

IN hac mea secunda descriptione versus Boream progredi intendendo, incipiens ut supra ab Achon. Dico igitur, quod ab Achon 4. leucis contra Boream tenditur ad castrum, Mons fortis nomine, quod sub Teutonicorum hospitali fuit, nunc verò proprius defecit.

D. THORON CASTRI §. 2.

Post castrum Montis fortis ad 4. leucas se offert Thoron castrum, munitum valde, & difficile ad expugnandum, quod Tiberiadis Dominus contra Tyrum ædificauerat, dum Sarraceni Tyro dominarentur. Distat autem à Tyro leucis septem.

D. VRBIS ASOR §. 3.

AThoron castro 4. leucis distat antiqua vrbs Asor, quæ regis Iabin sedes exitit, apud quam Iosue & Israel filij cum 24. Regibus prælium commiserunt, & deuicerunt. De Asor sic legimus in libro Iosue cap. 11. Reuersusq; Iosua, statim cepit Asor, & Regem eius percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Hæc ibi.

D. VRBIS VELENAS NVNCVPATÆ §. 4.

VLtra Asor sex Leucis ferè contra Aquilonem est Velenas vrbs, in basi Libani montis constructa. Hæc ut legimus in libro Iudicum cap. 10. Prius Lachis nuncupata fuit. Vnde sic scribitur in eodem libro: Tradidit Dominus Lachis in manu filiorum Israel, & cepit eam Iosua, die altero. Hæc ibi. Et quoniam decem ferè leucis à Sidone distabat, habitatoresq; eius nemini dextras dederant mutui subsidij filij Dan oppugnantes ceperunt eam, vocaueruntq; Lesedan, nomine patris sui Dan. Sæpenu-
Lachis.
Dan.
mero tamen in scripturis sacris simpliciter Dan appellatur. Sic enim legimus in primo Regum cap. 7. Congregatus est vniuersus Israel à Dan vsq; Bersabee. Est enim Dan terræ sanctæ terminus con-

nus contra Septentrionem, Bersabee autem contra Austrum, secundum illud quarti Regum cap. 12. Venit Helias in Bersabee Iuda. Et infra: Et abiit in desertum quod utiq; Bersabee con-
Bersabee
tignum apparet. Bersabee autem nunc Giblin nominatur. At Philippus, Tetrarcha existens Ithuræ & Trachonitidis regionis, ciuitatem Velenam, siue Dan, Cæsaream Philippi nuncupari instituit, A Græcis verò Panias dicitur. Sed hodie denominationibus his deficientibus, apud populos communiter Velenas est nuncupata.
nunc Giblin.

DESCRIPTIO IORDANIS, QVO AD originem & decursum. §. 5.

SVper Velenam urbem in pede Libani sitam, oriuntur hinc inde duo illi celeberrimi fontes, Ior & Dan, qui ante urbis ianuam in vnum coniuncti, Iordanem inchoant fluuium, secundum quod apparet. Id vero dixerim quoniam ex rei natura ille non est primus Iordanis ortus. Inquit enim Iosephus, * quod ex hoc loco mensis ferè mille stadiis contra orientem, repertus est, vastissimus fons, nomine Phiala, semper plenus, & nunquam superfluens, sed subterraneo meatu decurrit vsq; ad locum, vnde Dan fons emanat. Estq; probata sententia, fontem Phialam post longum subterraneum defluxum emergere in Dan, cuius rei signum inde sumitur, quod paleæ in Phiala positæ sub terra descendentes recipiuntur in Dan, & de hoc certissimum est periculum factum. Sic ergo constat, primam Iordanis originem non à Dan & Ior, sed à Phiala sumendam. Sarraceni fontem illum non Phialam sed Medam dixerunt, ac si velint dicere, Iste sunt aquæ Dan. Me siquidem Arabicæ aqua est. Euangelista Matthæus locum hunc Magedan appellat in cap. 17. cum dicit Iesum venisse in fines Magedan. Parum verò distat à Seneta vrbe iuxta patientis Iob sepulchri pyramidem in Trachonitide regione. Sed de hoc infra plenius dicetur. Iordanis post longos & tortuosos circuitus, quibus Trachonitidem regionem ab Ithuræa separat, demum inter Capharnaum & Chorazaim mare Galilææ ingreditur, 4. leucarum interuallo ab vrbe Cedar, super montem sita de qua infra. Medio loco inter Velenam
** Libro 3. de bello Iudaic. cap. 18.*
Me Arabi- bus aqua.
Monumen- tum Iobi.
Chorazaim
& ma-

Venatio
regia.

Trachoni-
tis.

Galaad,
Seir, Her-
mon, Li-
banus, unus
montium
tractus.

& mare Galliaë est vallis quædam, quam defluxus Iordanis ingreditur, cum niues ex Libano resoluuntur, sitq; in valle aquarum collectio more stagni, quæ quidem collectio in scripturis sacris aquæ Meron appellatur. Hic est locus, in quo Iosua congressus est cum Iabin rege, alijsq; 24. Regibus, & victoriam obtinens, insecutus est eos vsq; ad aquas Masserephoth. Sic autem legimus in libro Iosua cap. 11. Venit Iosua & omnis exercitus eius cum eo aduersos illos Reges ad Aquas Meron, & irruiit super eos, tradiditq; eos Dominus in manu Israel. Hæc Aquarum collectio æstiuus caloribus pro maiori sui parte exsiccatur, propter quod arbusta & herbæ in modum syluulæ densæ adeo crescunt, quod Leones, vrsi, alijsq; syluestria ibi latitant. Et hæc sunt regiae venationes. Huius vallis medietas est in hac secunda partitione. contenta: Altera verò medietas in sequenti partitione. Regio, quæ ultra vallem hanc in lictore Iordanis est ad Orientem per totum vsq; Bosiam urbem, ad ortum Solis in monte Sanir constructam. Qui Sanir copulatur monti Hermon in libro Iosua cap. 11. Libani planities appellatur, siue Trachonitidis regio, eò quod fluuiilibus aquis penitus careat. Propterea regionis illius incolæ pluuias aquas in brachilibus & cisternis congregant, inde per trachones de loco ad locum deducunt, vt se suaq; iumenta feruent. Verum quia de monte Libano & Hermon & Seir sermo incidit, ideo plenius de eis dicendum, putò, ad scribendorum intelligentiam perfectam. Scito igitur, & pro certo teneas, montana, quæ sunt super torrentem Arnon, & quæ mediant inter Arnon & Moab, & Ammorhæos, item mons Galaad, situs in regno Og, regis Basan, & mons Seir, & Hermon & Libanus, sunt realiter mons vnus continuus, sed diuersis regionibus diuersa sortitur nomina. Idem apparet in Alpibus, quibus seiungitur Germania ab Italia. Mons tamen Galaad inter omnes præcipuus est, & eminentior. Videretur enim aliorum quasi caput: propter quod suadeo mihi, ad litteram illud Ieremiæ dictum: Galaad in caput Libani. Galaad monti copulatur Sanir, qui & Seir dictus est. Illic enim habitauit Esau. Sed plenius de hoc infra. Eidem copulatur mons Hermon, circueñs Trachonitidem regionem, & protendens se vsq; ad Damascum, vbi Libano vnitur inter Velenam &

nam & Damascum. Libanus super Damascum iudicio meo sublimior est, quàm totum sui spacijs residuum. Ex hoc loco ad Tyrum u. interiacent leucæ, & tamè existenti in Tyro manifestissimè apparet, & ego in media nocte lucidè ipsū intuitus sum. Continet in longitudine quinq; dietas, & toto illo spacio sumitates habet coopertas niuib; in sui principio, sc. contra Velenam 40. leucis distat à mari, in termino verò sui, sc. iuxta Arachas castrum, vix tribus distat. Nauigantes autem mare vident ipsum à Tyro vsq; Antaradum, & sub ipso Antilibanum. Libani & Antilibani valles optimè excoluntur, vberes sunt pascuis, vineis, hortis, pomarijs, & vno verbo, omnibus mundi bonis. Habitantes Libanum sunt nationes variæ, vt Armenij, Græci, Nestoriani, Iacobini, Georgiani, qui se Christianos asserunt & suo dicto, Romanæ Ecclesiæ, obædientes. Sed de hoc nihil ad præsens.

Libani in-
cole.

DESCRIPTIO TERTIA TERRÆ SANCTÆ CON- tra Vulturum.

CAPVT IIII.

IN hac tertia descriptione ab Achon contra Vulturum nunc procedendum est. Sic ergo incipiam.

D. IVDIN CASTRI §. 1.

PROcedenti ab Achon contra Vulturum directè se offert ad quatuor leucas castrum Iudin, in Saron montibus locatum, quod elapsis temporibus sub Teutonicæ domus cura extitit & potestate, at nunc penitus defecit. Inde leuca vna offenditur castrum, denominatum Regium, in valle sub Saron montibus, eiusdem Teutonicæ domus, vt supra, preciosis, & perraris etiam illis regionibus fructibus abundans.

Castrum,
Regium.

D. VALLIS SENNIM. §. 2.

CASTRO Regio quatuor leucarum intervallo contra aquas Meron, distat vallis Sennim, in qua Cineus tabernaculum disposuit,

E

disposuit, non longè ab Asor vrbe, cuius vxor, dicta Iael, Sisaram, principem exercitus Iabin, regis Asor, tabernaculi clauo per tempora transfixo, constanter interemit, vt legimus in lib. Iudic. c. 4.

D. BABVL AVT CHABVL.

EX valle Sennim dimensis tribus leucis, tenditur Babul castellum, quod Sarraceni Chabul vocarunt, à quo terra illa Chabulin nuncupata est, quod displicentiam sonat, vt legimus in tertio Regum cap. 9. quando Rex Salomon castra quædam Hiram obrulit, benè meriturus de acceptis beneficijs.

D. SEPHETH. §. 4.

EX Chabul duabus leucis intermedijs tenditur Sephet, munitissimum castrum, & iudicio meo firmitus omnibus castris, quæ vnquam viderim, in sublimi monte constructum, quod Templarij. retroactis temporibus sub reginæ i. extitit Militiæ templi, sed proditione & fallacijs captum in ignominiam detrimentumque Reipub. Christianæ. Soldanus enim propter castrum illud inexpugnabile totam Galilæam detinet, sc. tribum Zabulon & Neptalim & Isalchar & Manasse, & omnem regionem Achon & Tyrum & Sidonem.

D. VRBIS DICTÆ CEDES NEPTALIM. §. 5.

IN 4. leucis iuxta mare deuenimus in urbem dictam Cedes Neptalim. Ex ea oriundus fuit Barach, filius Achinoë, qui cum Silara, principe militie Regis Iabin, in monte Thabor congressus est. Hæc fuit ciuitas electa in refugium fugitiuorum. Sic enim legimus in lib. Iosue cap. 20: Separatae vrbes fugitiuorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, vt confugiat ad eas, quicunq; animam percusserit nescius. Et infra: Deceueruntq; Cedes in Galilæa montis Neptalim. Pæc abundat omnibus mundi bonis, & hodie ruinæ magnæ ibi apparent, sepulchraq; pulcherrima antiquorum.

D. MON-

D. MONTIS, SVPER QVEM IESVS benedictus frequentius ascendeat. §. 6.

EX castro Sephet duabus leucis in descensu montis contra Orientem ad iactum lapidis iuxta mare Galilææ supra viam, quæ versus Orientem dirigit, est illius montis ascensus, in quem totiens legimus Saluatorem solitum ascendere, super quem Sermonem illum mortalem & prolixum dictauit, quem Mattheus refert cap. 5. saturauit ex quinque panibus 5000. hominum: Dimissa turba ascendit solus orare: latuit, cum vellent eum constituere sibi Regem: docuit discipulos orare, componens orationem Dominicam, vt scribitur Matthæi cap. 5. In eo pernoctabat in oratione: eidem descendenti supplicauit Centurio pro puero paralytico: ad eum venit multitudo languentium, qui vexabantur à Spiritibus immundis. Ex hoc monte totum Galilææ mare videtur. Ithurea & Trachonitidis regio vsq; ad Libanum. Insuper mons Sanir, qui & Seir, mons Hermon, terra Zabulon & Neptalim vsque Cedar, vniuersa Cenereth vsq; Dorhaim & Beliam, aliaq; loca multa. Est autem extensus iactu duorum arcuum, latus autem iactu lapidis, & amplius, varijs herbarum florumq; generibus decorus, amœnus, ad prædicandum habilis. Adhuc permanet lapis illic, super quem sedit Saluator prædicans, & Apostolorum sedilia, Christianiq; appellant locum ipsum Tabulam, siue Mensam. In huius montis basi iuxta mare Galilææ fere 30 passibus fons viuus oritur, pariete circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, eò quod coruorum piscem nutrit, qui nusquam alibi reperitur. Iosephus * fontem Capernaum appellat, * Lib. 4. eò quod planities ab hoc fonte vsque Iordanem trium leucarum longitudinem habens, Capernaum nominatur. Ex hoc fonte ad 20. passus super mare Galilææ locus est, vbi Saluator, postquam à mortuis surrexit, in littore stetit, discipulis piscantibus, cum dixit vt legimus Iohannis capit. 21. Pueri, nunquid pulmentarium habetis. Ibidem in lapide tria benedicti Redemptoris iam gloriosi & immortalis corporis vestigia impressa & vidi, & tergi infesto clarissimi ac diui patris Augustini, cum illic me contulisset. Verum cum repetissem locum eundem in festo felicissimæ

sarraceni cissimæ annunciationis. Sarraceni maledicti lapidē ipsum aspor-
rident mo- tauerant. Non enim venerantur mortis & resurrectionis Do-
numenta minicæ insignia, sed veluti pecora & gentes stolidæ stulticiam re-
Passionis putant. Inde ad 10. passus locum vidi, & deuotissimè contempla-
Christi. tus sum, in quo discipuli in naui piscantes prunas viderunt, &
piscem suppositum & panem, vt legimus Iohan. cap. 21.

D. CAPHARNAVM. §. 7.

ALoco, vbi Reparator noster in littore apparuit, ad Caphar-
naum mediat leuca. Fuit quidem Capharnaum gloriosa
potensq; vrbs, vt ex Euangelio nobis innotescit, nunc autem adeo
desolata est, vt vix 8. domunculas, sed potius dixerim tuguria, ha-
beat. Sicq; completa est infallibilis comminatio Saluatoris no-
stri, declamantis, cum dixit Matth. cap. 11: Et tu Capharnaum,
nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsq; in infernum descen-
des. Distantia duarum leucarum à Capharnaum Iordanis mare
Galilææ ingreditur, in cuius vltiori littore vrbs Chorozaïm
ruinæ adhuc videntur. Est enim penitus euersa, atq; inhabita-
ta. Sibi enim infallibilis veritas comminata fuerat, cum dixit
Matthæi cap. 1. Veh tibi Chorozaïm. A Chorozaïm ad leucam
vnam, quorundam iudicio, incipit ascensus montis Sanir, & in-
gressus Idumææ.

D. CEDAR VRBIS. §. 8.

AChorozaïm ad tres leucas extat Cedar, gloriosa nimis & fa-
mosa tutissimo loco sita in monte Sanir, ipse est Seir contra
Orientem. Sed de ea inferius plenè dicendum est. Per urbem Ce-
dar transit via, qua patet incessus per littus maris Galilææ, ducens
ad Occidentem, vt legimus in Tobia cap. 1. Elaias autem cap. 9.
appellat eam viam maris trans Iordanem Galilææ gentium. Viam
quidem maris dicit, quia in maris Galilææ littore proceditur
trans Iordanem: nam vltra Iordanem deducitur in regionem
Aran Galilææ gentium, eo quod Galilæa ibidem in Iordane ter-
minatur. A loco ingressus Iordanis in mare Galilææ, vsq; ad Ce-
des Nea

des Neptalim, quam suprà descripsimus, quatuor mediant leucæ
in quarū medietate alia est pars aquæ & Meron, de quibus suprà
actum est. Egrediens autem Iordanis ex aquis Meron, dirigit de-
fluxum primò contra Orientem, deinde contra Austrum & sic
mare Galilææ ingreditur.

D. SVEHÆ VRBIS. §. 9.

AChorozaïm & ostio Iordanis decem leucis contra Aquilo-
nem Sueha est vrbs, ex qua oriundus fuit Baldach Suites,
de quo legimus in lib. 1. Iob. cap. 21. quod ad patientem Iob &
afflictum condolendi gratia profectus est. Iuxta Sueh hanc est py-
ramis, sub qua creditur beati Iob monumentum contineri. Hoc
tamen nobis non constat ex scriptura sacra: nam in lib. Iob. cap.
42. nihil aliud habemus, nisi quod mortuus est senex, & plenus
dierum. De sepultura autem nulla fit mentio.

D. TABERNACVLORVM CEDAR. §. 10.

SVb vrbe Sueha versus Cedar Saraceni congregari consueue-
runt de Aran & Mesopotamia & Syria & Moab, & Ammon,
ac ferè tota terra orientali circa Phialam fontem, de quo actum
est suprà, & nundinas ibidem celebrant æstatis tempore propter
locorum amœnitatem, eriguntq; tentoria diuersorum colorum,
quæ dum videntur ab egredientibus Cedar, pulchrum nimis &
delectabilem generant prospectum. Hæc sunt tabernacula Ce-
dar, quorum pulchritudini assimilatur sponsa in Canticis cap. 1.
Eorundem
nundinæ.

D. CEDAR. §. 11.

AChorozaïm tribus leucis contra Orientem est vrbs Cedar,
in sublimi monte constructa, quam Iosephus Camelam * * Game-
denominat. Siquidem mons, super quem extat, secundum Ca-
meli figuram disponitur. In principio extensum est ad mo-
de bello tu-
dum colli & capitis Cameli in medio gibbum habens, vt dorsum dæic. lib. 4.
incipiens in fine declinare ad instar caudæ. Cedar quàm gloriosus cap. 1. &
sa & 2.

¶ Allega- sa & potens extiterit, scribit Esaías cap. 21. sic: Et auferetur om-
 nis gloria Cedar, & reliquæ numeri sagittariorum fortium de
 filiis Cedar imminuentur. Et Ezechiel cap. 27. Vniuersi principes
 Cedar, negotiatores manus tuæ cum agnis & arietibus & hædis
 venerunt ad te. Rursus autem reuertentes ad ea, quæ supra teti-
 bet in uoce gimus de planicie Libani & Trachonitide regione, & Galilæa
 gentium, pro pleniori notitia aduertat, studiose inuestigator,
 quod tota regio, ultra Iordanem in littore eius Orientali dicitur
 Trachoni- Trachonitidis regio, siue planicies Libani, usque ad montem Her-
 tidis. mon & Bosra, littus uero Iordanis occidentale dictum est Gali-
 læa gentium, siue Ithuræa, siue Babul siue Decapolis, & via maris
 gentium, a- transit per medium eius, ab Achon tendens per uallem Afer, quæ
 lio nomine nunc sancti Georgij appellatur, habens Sephet à sinistris. Et lit-
 Ithuræa & tus maris Galilææ per montana Trachonitidis regionis usque; Ce-
 Decapolis. dar nuncupatur terra Aram. Vnde glossa quædam super princi-
 Aram. pium Iob sic ait: Aram, pater Syriorum, qui condidit Damascum
 & Syriam, genuit Hus, conditorem Trachonitidis regionis. Hic
 inter Celsyriam & Palæstinam principatū tenuit, ideo terra illa
 terra Hus ab eo denominationem sumpsit. Propterea bene dixit
 scriptura: Vir erat in terra Hus, siue Husrin, nomine Iob. Et hanc
 tenuit rex; Philippus, sicut Ithuræam, quæ est circa Iordanem
 ad occidentem, usque; ad montes Sidonis & Achon & Phœnices.
 Ab hac regione prædicta initium sumit hæc tertia diuisio, siue de-
 scriptio, sicut & secunda præcedens, terminaturque; in Libano uer-
 sus Aquilonem, in Iordane uersus Orientem, in montibus Phœ-
 nicæ uersus Occidentem.

DESCRIPTIO TERRÆ SANCÆ CONTRA Subsolanum.

CAP V T V. §. 1.

Descriptio quarta incipit ab Achon, tendens directè con-
 tra Orientem, à quo spirat Subsolanus, iuxta Sepherh
 castrum, illudque; relinquens à sinistris, inde in littore ma-
 ris Ga-

ris Galilææ ante Capharnaum & ante locum in quo Saluator
 Matthæum ex telonio vocauit, cuius domus & tēssionis locus *Matthæi*
 etiam hodiè cernitur instrata regia, inde ultra Iordanem ad Her-*telonium.*
 mon montana conscendit. Sunt autem in hac quarta descriptio-
 ne infra descripta loca.

D. CASALIS SAN GEOR. §. 2.

AB Achon directè contra Orientem 5 leucis est Casale, dictum
 San Geor. ibi enim creditur diuum Georgium fuisse pro-
 genitum, situmque; est inter montes in valle pingui, fertili & amœ-
 na, cuius amœnitas usque; ad mare Galilææ protenditur. Et fuit
 uallis Afer usque; iuxta Sephet 10 leucis. Tanta autem eius amœni-
 tas, ut uerè completum sit, quod pater Iacob dixit, benedicens fi-
 lio Gen. cap. 49. Afer pinguis panis eius, & præbebit delicias Re-
 gibus, quod utique; verificatum comperimus in sorte tribus Afer.

D. NAASON. §. 3.

A Casali San Geor usque; Naason mediant 4 leucæ. Est au-
 tem Naason contra Austrum declinando aliquantisper ad
 Orientem, de tribu Neptalim In valle sita hæc est Naason, de
 qua sic legimus in lib. Tobie cap. 1. Tobias ex tribu & ciuitate
 Neptalim, quæ est in superioribus Galilææ supra Naason.

D. DOTHAIM. §. 4.

Dothaim à Naason distat 3 leucis, oppidum admodum a-
 mœnum, vineis, oliuetis, pascuisque abundans, situm sub
 monte Bethulæ ad leucam unam. Illic Ioseph fratres inuenit
 missus à patre Iacob, ut legimus Gen. cap. 37. In agro adhuc osten-
 ditur cisterna, in qua detrusus fuit Ioseph, ut legimus Gen. cap. 37.
 quam ut peregrinans uidi iuxta uiam à Galaad in Bethsæidam,
 quæ quidem uia copulatur ei, qua est transitus à Syria in Ægy-
 ptum. Hac uia uenerunt Ismaëlitar, emptores Ioseph, ut legi-
 mus Genesis cap. 37. In hac uia Syri uallauerunt Hælitæum, qui
 ut le.

vt legimus in lib. 3. Regum cap. 10. deduxit eos in medium Samariae, quae tamen distat inde ferè per dietam. Aduerte autem, studiose Lector, Dorhaim aliquando sumi pro oppido, aliquando pro regione, adiaceti ipsi oppido, quae ab eo denominata est, & est terra campelstris inter fructiferos colles contigua fontibus, imò pascuosa est, & pecoribus alendis aptissima. Ad hanc regionem, denominatam Dorhaim ab oppido, & non ad oppidum ipsum, deuenit Ioseph missus à patre.

D. CIVITATIS NEPTALIM. §. 5.

Neptalim ciuitas distat à Naason duabus leucis contra Orientem à Dorhaim, tribus contra Aquilonem, tutissimo loco sita, penitus inaccessibilis ex parte Orientali propter arctissimum spacium. Ex hac fuit Tobias, vt legimus Tobiae 1. cap. Tobias ex tribu & ciuitate Neptalim. Hanc puto tempore excidij Ierusalem, secundum Iosephum Iotapatam dictam fuisse, in qua idem Iosephus obsessus & captus fuit à Romanis, vt ipse testatur, nunc autem Sirin appellatur, distans à Sephet parum plus leuca.

¶ vide lib.
3. de bello
Iudaic.

D. BETHSAIDA. §. 6.

A Neptali tribus leucis in angulo maris Galilaeae, vbi idem curuari incipit, ab Aquilone contra Austrum sita est Bethesda, ciuitas Petri, Andreae & Philippi. Sic enim legimus Iohan. 1. cap. Erat autem Philippus à Bethesda, ciuitate Petri & Andreae. Nunc autem vix est in ea habitator. Completa est enim Saluatoris comminatio. Matth. 11. Vae tibi Chorozaïm, vae tibi Bethesda. Iuxta viam, in qua tenditur ex Syria in Aegyptum, habuit antiquitus aquae ductus à fluuio, quem Iosephus paruum Iordanem appellat, medietate itineris, inter ipsam & Capharnaum & mare Galilaeae, cuius aquae ductus vestigia adhuc permanent.

¶ paruum Iordanis.

D. MAGDALI. §. 7.

Magdalum in scripturis sacris duplex legimus, vnum in Aegypto, de quo sic scribitur in libro Exodi cap. 14. Reuerfi castra

castrametentur è regione Philtaïroth, quae est inter Magdalum & mare. Et apertius in Ieremia ca. 44. sic legimus: Iudaeos, qui habitabant in terra Aegypti, habitantes in Magdalo & Taphnis. Et de hoc quidem descriptionem non intendimus, quam ad terram sanctam non pertinet. Alterum est Magdalum, à quo denominata est Maria Magdalena, & de hoc est intentio nostra. Est igitur hoc Magdalum distans à Bethesda duabus leucis, constructum in littore maris Galilaeae distans à Bethulia tribus leucis contra Vulturum ferè, habens ab occidentali parte & aquilonari planiciem latam & speciosam. Et aduerte, hanc quartam diuisionem non amplius continere villas aliquas citra mare Galilaeae. In altero verò eiusdem maris littore sunt vrbes & castella quam plura, ad hanc diuisionem quartam pertinentia, in regione Gerasenorum, quae huic directè est opposita. In ea continentur hae vrbes: Gerasa, Gader, Pella. Suha ex qua fuit Baldach Suihres, Thema, ex qua fuit Eliphat Themanites, & aliae quam plures. Gerasa in littore maris Galilaeae sita est, sub monte Seir, contra Tiberiadem ferè, parum ramen declinans ad Aquilonem; fueratq; pro vna sui parte de regno regis Balan, & pro alia sui parte mons Seir appellatur, eò, quod, vt infra describemus, Esau fuit habitans in eo. Dicebatur insuper mons Sanir, eò quod continebatur in ea, item mons Hermon, quia & illic erat. Et sic propter diuersitatem locorum & montium terra illa variè denominata est. Tota tamen celsit in sortem dimidia tribus Manasse, licet nunquam totam possederit. Filij enim Esau pro parte habitabant in ea, vt legimus in libro Deuter. cap. 2. Vsq; in praesentem diem communi nomine dicuntur Sarraceni, quia nec ritu nec lingua discrepant ab eis, nisi forte tonsura & habitu.

Geraseni.

Seir.

D. MONTIVM NVNCVPATORVM Seir. §. 8.

ET quoniam de Seir incidit sermo, scias studiose Lector, in scripturis sacris multos legi montes Seir, siue Edom, qui videntur denominati ab Esau. Vnus quidem est, qui non distinguitur à deserto maris rubri. Et de eo sic legimus in lib.

F

Genes.

Genes. cap. 14. Codorlaomor, rex Elamitarum, & Reges, qui erant cum eo, percusserunt Raphaim & Chorreos in montibus Seir, usque ad campestria Pharan, quae est in solitudine. Patet autem, quod hic mons eo tempore non est dictus Seir ab Esau. Nondum enim natus erat: unde per anticipationem creditur esse dictum. Alius est Mons Seir coniunctus solitudini Pharan, iuxta Cadesberne, habens à latere desertum Sinai & mare mortuum. Hunc multo tempore circuierunt filii Israël, egressi de Aegypto. Unde sic legimus in libro Deuter. cap. 2. Circuimus longo tempore montem Seir, dixitque Dominus ad me: Sufficit vobis circumire montem istum. Alius est mons Seir, in quo habitauit Esau postquam recessit à Iacob. Sic enim legimus in lib. Genes. cap. 36: Tulit Esau uxores suas & filios, omnemque substantiam suam, & abiit in alteram regionem, habitauitque; Esau in monte Seir. Hic est mons Seir, de quo dixit Dominus filiis Israël, Deut. c. 2. Transibitis per terminos fratrum vestrorum, filiorum Esau, qui habitant in Seir, & vos timebunt. Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Alius est mons Seir in terra Philistinum in consinibus Azoti & Ascalonis: Hic datus fuit tribui Iuda in distributione Terrae sanctae, quae & terra promissionis est. Sic enim legimus in libro Iosue cap. 15. Ackaron cum vicis & villulis suis, sc. datus est tribui Iuda. Azotus cum vicis & villulis suis, Gaza cum villulis & vicis suis usque ad torrentem Aegypti, & mare magnum, termini eius, & in monte Seir qui & Sanir dicitur. Haec ibi. Quare autem sic dictus sit, non memoror me legisse. Hoc vnum est, quod habitatores montis illius Idumaei appellati sunt, sicut & alij posterij ab Edom Idumaei dicebantur. Unde Antipater, & filius eius Herodes Ascalonita, Idumaei dicti sunt. Alius est mons Seir iuxta mare Galilaeae, & montem Galaad, in quo Esau habitabat eo tempore, quo Iacob ex Mesopotamia Syriae regressus est. Et hic propriè est ille, de quo in hac quarta descriptione sermonem fecimus: est enim in principalioribus terrae sanctae. Terminatur autem mons iste Seir, in sorte tribus Gad in monte Galaad, contralocum ubi non longè à montibus Gelboe iuxta ciuitatem Bethsan Iordanis fluuius mare Galilaeae ingreditur. Et deinceps littus Iordanis orientale est duarum tribuum & dimidia usque ad cam-

ad campestria Moab sub monte Abarim in Sechim contra Iericho. Ultra verò per idem Iordanis littus procedendo, est terra Moab usque ad Petram deserti, quae nunc Charach. Ultra terram Moabiticam Moab est pars terrae Ammon tanto spacio, quanto extenditur mortuum mare. Sicque littus eius australe circuit usque ad montem illum Seir, qui copulatur deserto Pharon, iuxta Cadesberne, habens à latere desertum Sinai & mare mortuum.

DESCRPTIO TERRAE SANCTAE CONTRA Eurum.

CAPVT SEXTVM.

Quinta Descriptio, sumens initium ab Achon, tendit contra Eurum directè.

D. CANAE GALILAEAE. §. 1.

AB Achon 5. leucis distat Cana Galilaeae tendendo versus Eurum, in qua Reparator noster aquam in vinum vertit, ut legimus Iohannis cap. 2. Usque ad dies nostros triclinium & locus in quo dispositae fuerant sex hydriae, ostenduntur. Scias autem, Ruinae sanctorum locorum. quod chare Lector, quod loca haec & alia, in quibus Dominus Iesus quid miraculose operatus est, nunc terra cooperta sunt, ita quod subterranea dici possunt: cuius rei causam aliam suspicari nequeo, nisi quod frequentes Ecclesiarum destructiones, in quibus loca huiusmodi continebantur, ruina sunt super terram eleuatae. Super eleuationem autem aedificia alia constructa sunt, sicque loca prima veneranda sub ruinis abscondita, & abstrusa remanserunt. Deuoti verò Christi fideles, affectantes visitare loca sancta, & omnino decernentes ad loca vera, in quibus res gestae sunt, peruenire, statuerunt effodere, & gradus subterraneos construxerunt, ut sic prima loca adire possent, propterea ferè omnia haec loca in cryptis videntur disposita. Cana Galilaeae ab Aquilone montem habet altum, & ad rotunditatem se vertentem, & est in decliui eius latere sita. Sub se contra Austrum habet planiciem speciosam nimis, quam Iosephus Carmelon appellat usque Sephoron fertilem & amoenam valde.

D. RVINÆ §. 2.

EX Cana Galilææ tendens versus meridiem quatuor leucis, deprehendi villam nomine Ruinam in via, quæ est transitus à Sephoron in Tiberiade. In ruina credunt incolæ Ionam Prophetam sepultum quiescere. Hoc tamen non constat ex libro Ionæ, nec alio scripturæ loco. Villa hæc sita est sub monte, qui Nazareth proueniens prædictam planitiem Carmelo includit à parte Australi.

Monumentum Ionæ uatis.

D. ABELMEVLÆ, VEL BELMÆ §. 3.

EX Ruina spacio leucæ & dimidiæ tendimus Abelmeulam, siue Belmam, villam quidem antiquitus populosam. Adhuc enim extant marmoreæ columnæ & destructiones magnæ, quæ signant eam fuisse gloriosam, & erat in situ alto tutoque constructa. Hæc est Belma locus quidem, per quem Holofernes cum exercitu Bethuliam aggressus est. Sic enim legimus in libro Iudith cap. 7. Omnes parauerunt se ad pugnam, & venerunt per crepidinem montis ad apicem, qui respicit Dothaim, à loco qui dicitur Belma vsq; Chelmon. Hæc ibi. Et sic quidem eos ascendere necesse fuit ob locorum difficile accessum: nec alia via illic esse poterat. In Abelmeula natus est & adultus Helisæus Propheta. Sic. legimus 3. Reg. cap. 19. Helisæum autem, filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges Prophetam pro te. Constructa est in regione, dicta Dothaim, distans leuca dimidia à villa Dothaim contra orientem.

Helisæus.

D. MONTIS BETHVLIAE §. 4.

Vltra Belmam leuca una, mons est Bethulia, ubi celeberrima Iudith superbum Holophernum truncauit. Mons ille speciosus valde & tutus per totam ferè Galilæam videtur. Extant adhuc in eo ædificia multa, & destructiones multæ. In ipso montis calce castrum pro montis defensione constructum est. In campo iuxta Dothaim adhuc videntur castrorum Holophernes indicia. Vidi, exacteq; consideraui vallem, in qua se lauit

Iuditha heroina.

lauit Iudith, & quam circuiuit redeundo Bethuliam cum capite Holophernis: nam in Dothaim una die naturali moras protraxi. Hæc autem notissima sunt in libro Iudith, cap. 7.

D. TIBERIADIS §. 5.

A Bethulia tribus Leucis, inter Orientem & Austrum, distat Tiberias vrbs, quæ vulgarissima in sacris Euangelijs, supra littus mare Galilææ, Tiberiadis mare dictum, aliquotiens inuenitur. Hæc apud veteres Cenereth dicebatur, & ab ea mare Galilææ mare Cenereth, vel Ceneroth, dictum legimus. Vnde in lib. Iosua cap. 12. sic scribitur: Seon, rex Amorrhæorum, dominatus est vsq; ad mare Ceneroth ad Orientem. Verum quia ab Herode, * Galilææ Tetrarcha, instaurata est, in honorem * Antipa, Tiberij Cæsaris Tiberias nuncupata est. Est autem longa valde, iuxta maris littus per longum disposita. Suntq; in eius australi termino balnea salubria, & destructiones multæ ac magnæ, palmæ copiosissimæ ibi crescunt. Terra pinguis valde vineis, oliuetis & ficulneis refertissima.

D. DECAPOLIS REGIONIS §. 6.

Scias, charissime Lector, ad urbem Tiberiadem terminari regionem, dictam Decapolin. Nam Dominus Iacobus de Vitriaco, Ierosolymitanus Patriarcha, & Romanæ sedis Legatus, in lib. quem de conquesto Terræ sanctæ edidit, sic dicit: Regionem Decapoleos fines, siue extremitates, sunt mare Galilææ ab Oriente, & Sidon magna, & hæc est latitudo eius, in longitudine verò protenditur à Tiberiade & toto littore aquilonari maris Galilææ vsq; Damascum. Dicta est autem Decapolis quasi decem urbium regio, quæ ut principales in ea continentur. Sunt autem: Tiberias, Sephet, Cedes, Neptalim, Asor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Bethsaida, Corozaim & Bethsan, quæ & Scythopolis dicta est. Sunt & in ea plures aliæ, sed hæc celeberriores sunt. Iterum scias, regionem Decapolin quam variè in scripturis denominari. Dicitur enim aliquando Ithuræa, aliquando Trachonitis, nunc planities Libani, nunc terra Moab, nunc os.

Synonymia Decapoleos. Gabul.

*Barchitæ
Sarraceni.*

Chabul, nunc Galilææ genium, nunc Galilææ superior. Est tamen semper eadem regio, etsi diuersimodè denominetur. Longitudo eius censetur vnus dies & dimidiæ, latitudo iudicio meo non excedit longitudinem nisi fortè insensibiliter. Post territorium autem Sidonienſe & montes medios inter nos & Saracenos, qui Barchitæ dicuntur, & Passum canis, Idu-mæi inhabitant, vsq; Berthum, prope Ithuream regionem, in valle dicta Vachar. Et quoniam ad radices Libani in longum extenditur, saltus Libani appellatur.

D. SEPHRON. OPPIDI. §. 7.

*Ioachim,
Pater Ma-
riæ.*

A Tiberiade reuertendo contra occidentem ad sex leucas, & ex Cana Galilææ ad tres leucas, contra Austrum est Sephron oppidum, castrumq; desuper, pulchrum valde, vbi Ioachim, beatissimæ virginis pater, creditur esse natus. Situm est in tribu Aser iuxta vallem Carmelon.

D. BENEDICTÆ NAZARETH. §. 8.

A Sephron duabus leucis ferè contra Austrum, paululum tamen declinando ad orientem, est benedicta Nazareth, ciuitas Galilææ, in qua virgo de radice Iessæ, perfecta salutatio-
ne Angelica, vt legimus Luca cap. 1. ex Spiritu sancto concepit mundi Redemptorem, Iesum Christum, Dei maximi filium. Distat ab Achon 7. leucis. Etiam diebus nostris permanet locus, in quo Gabriel Angelus beatissimæ virgini detulit cœleste nuncium salutis dicens: Ave gratia plena. Pluries in loco illo deuotissimo celebraui in ipso annunciationis die, quando diuinum verbum, caro factum est: Sit nomen Domini benedictum in æternum & vltra. Tria altaria sunt in capella, quæ quidem excisa est in lapide de rupe, sicut & natiuitatis locus & resurrectionis & sepulturæ. Nam vt Nazareth antiquitus pro maiori parte excisa erat de rupe, quod adhuc apparet. Est & in ea adhuc Synagoga illa, in qua Iesu docenti datus est liber Esaiæ, quando legit teste Luca cap. 4. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Est insuper in fine ciuitatis in Ecclesia, sub titulo sancti

sancti Gabrielis, fons, quidam ab incolis summe veneratus, ex quo, vt fertur, puer Iesus hauriebat aquam ministrans dilectæ matri suæ. Extra Nazareth, contra Austrum, quantum iacere potest arcus quater, est locus dictus saltus David, vbi pessimi Iudæi præcipitare tentauerunt Iesum benedictum, vt legimus Luca cap. 4. sed exiens de manibus eorum, statim inuentus est in latere montis oppositi ad iactum arcus, & oculo videntur clarissime corporis sui lineamenta, ac vestigia lapidi impressa. Ex monte hoc, videtur mons Thabor & Hermon minor, & vili-
la Endor & Naim, & ferè tota latitudo magni campi Eldrelon.

D. MONTIS THABOR. §. 9.

A Nazareth duabus leucis contra Orientem est Mons Thabor, in quo, vt legimus Matth. cap. 17. transfiguratus est Dominus. Etiam hodie apparent trium tabernaculorum ruinae, quæ Diuus Apostolus Petrus, nesciens quid diceret pro dulcedine & abundantia Spiritus, petebat fieri. Sunt insuper nobilium ædificiorum, fortissimarumq; turrium & regalium habitationum, destructiones, in quibus nunc latitant leones, vrsi, aliæq; diuersi generis ferae, & circa huiusmodi regiae sunt venationes. Mons Thabor sublimis est valde, ac difficilis ascensu, aptissimus tamen pro construendo castro. In basi ipsius montis australi contra viam Endor, in eo itinere, quo est transitus ex Syria in Ægyptum, locus est, vbi fama veluti dicitur, sacerdotem Domini altissimi, Melchisedech, occurrisse Abraham, reuertenti à cæde quatuor Regum, vt legimus in lib. Genes. cap. 14. In basi eiusdem montis occidentali contra Nazareth constructa est capella in eo loco, vbi Saluator descendens, discipulos monuit, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à morte resurgat, vt legimus Matthæi cap. 17. In pede eiusdem orientali decurrit torrens Cison, in quo Barach pugnam commisit contra Sisaram, ac debellatus est, vt legimus Iudicum, cap. 4. Est autem collectus torrens ille, ex aquis pluuiaribus, defluentibus à monte Thabor, & Hermon & Hermonio. Decurrit contra mare Galilææ, ingrediturq; illud iuxta castrum Belucer, quod iam fuit sub ditione Hospitalis sancti Ioannis.

*Melchise-
dech.*

D. E N-

D. ENDOR. §. 10.

Hermonii
um.

Mons Thabor vna leuca contra Eurū distat à villa Endor, in monte Hermonio sita. Non est autem mons per se, sed veluti tumor quidam, procedens à monte Hermon ad montem Thabor. Vnde imaginandum est, inter montem Hermon & Thabor non esse vallem mediam, sed quendam tumorem, depressiorem quidem, qui tumor dicitur Hermonium, quasi parvus Hermon. Et hoc insinuat Psalmus 42. cum dixit Dauid: Propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico. In Hermonio igitur villa Endor sita est, de qua legimus in Psalmo: Disperierunt in Endor. In Endor habitauit mulier, Pythonem habens, quam consuluit Saul, vt legimus in libro 1. Regum cap. 28. ad cuius iussione Samuelem suscitauit, qui sepultus fuerat in Ramotha Sophim, duabus dietis distante ab Endor.

D. NAIM. §. 11.

A Nazareth duabus leucis, à monte Thabor, plus vna leuca, contra Austrum est Mons Hermon minor, in cuius latere Aquilonari est vrbs Naim, ante cuius ingressum Iesus vidue filium à mortuis reuocauit, vt legimus Lucæ 7. cap. Extenditur hic mons ferè quatuor leucis contra mare Galilææ, & terminatur non longè ab eo loco, vbi Iordanis ex mari Galilææ egreditur.

DESCRIPTIO TERRAE
SANCTÆ CONTRA

Notum.

CAPVT SEPTIMUM.

Sexta descriptio, sumens initium ab Achon, tendit directè contra Notum.

D. TORRENTIS CISON. §. 1.

Post

Post Achon quatuor leucis primò occurrit pars prima Carmeli montis, vbi extat locus, in quo verus Domini Prophetæ, Helias falsos Baal sacerdotes in torrente Cison interemit, vt legimus in tertio Regum cap. 28. Qui & ibidem modico spacio mare magnum ingreditur, vna leuca ab vrbe Caiphā, sed tribus ab Achon. De torrente Cison volo te non latere, charissime Lector, quod licet realiter sit vnus, duplicem tamen habet decursum. Aliqua enim eius pars decurrit contra Orientem ad mare Galilææ, aliqua verò contra Occidentem petit mare magnum, id est, mediterraneum. Et hæc quidem diuersitas ex eo contingit, quòd mons Thabor & Hermon, cum non multum distent, habent tumorem quendam intermedium, quem diximus supra appellari Hermonium, id est, minorem vel paruum Hermon, in quo situatur villa Endor. Et tumor quidem ille impedit, ne aquæ pluuiæ, ex vtroq; monte defluentes, ad plagam vnā descendant, sed pars vna petit Orientem, & recipit se in mare Galilææ, & in eam pugna commisit Barach contra Sisaram, vt dicitur Iudicum cap. 4. altera verò petit occidentem, & ingreditur mare magnum, & in ea Helias Baal sacerdotes necauit, in qua confluunt aquæ multæ ex Monte Ephraim, & locis propinquis Samariæ, & campo magno Eldrelon, & monte Caym.

D. CAYMOTH. §. 2.

A Loco interfectionis sacerdotum Baal tribus leucis contra Austrum situatur Caymoth castrum in pede montis extra Veremum Carmeli, vbi Lamech fertur sagitta Cain interfecisse. Dicitur enim in lib. Genes. cap. 4. Occidi virum in vulnus meū.

D. MAGEDDO. §. 3.

A Caymoth sex leucis contra Austrum est Mageddo, dictum hodie Suburbe, vbi defunctus est Ochozias, rex Iuda, vulneratus à militibus Iehu, vt legimus in 4. Regum cap. 9. iuxta Iezrael in ascensu Gaber, quando Ioram, regem Israel, idem Iehu sagitta interemit, cuius corpus proijci iussit in agro Naboth Iezraelitæ.

G

zraclitæ. In eodem Mageddo peremptus est Iofias, rex Iuda, à Pharaone, rege Ægypti cum proficisceretur à flumine Euphrate. Et Icias, studiosè Lector, campum Mageddo, & Esdrelon, & planiciem Galilææ, & Mageddam idem esse, licet diuersimodè denominatum. Est autem in rei veritate campus Galilææ qui cingitur mari Galilææ & Iordane, ab Austro autem monte Ephraim & Samaria, ab occidente partim monte Ephraim, & monte Carmelo, ab Aquilone montibus Phœnicie & Libano, in longitudine est ferè 10. leucarum, in latitudine 6. & amplius. In partibus Aquilonis fertilis est supra modum, exuberans frumento, vino, oleo, omnibusq; mundi bonis, adeò quod regionem meliorem credo me non vidisse, si exigentibus demeritis nostris non detineretur in manu prophanorum infidelium.

D. MESRÆ ET FABÆ CASTRI §. 4.

A Monte Caym contra Orientem duabus leucis occurrit Mesra, casale, in torrente Cison, per leucam vnam à pede montis Hermon. Ex Mesra contra Austrum leuca vna, est castrum denominatum Faba, in cuius latere occidentali extra viam, qua est transitus in Iezrael, ad dextrum demonstrantur ruinae ciuitatis Aphee, quantum arcus ter iacere potest. Vbi Syri pugnantes contra Achab, regem Israel, & deuicti, dixerunt, vt legimus 3. Regum cap. 20. Dij montium sunt Dij eorum, pugnamus cum eis in vallibus.

D. SVNÆ §. 5.

EX Aphec lenca vna contra Orientem ad sinistram, extra viam Iezrael in latere australi montis Hermon, est Suna vrbs, quam frequentare solitus erat Helisæus, proficiscens ex Carmelo in Galgalara. Et siquidem planior via tendenti in Iericho, vbi cum Prophetarum filijs morabatur, procedens de Carmelo per Sunam in Bethsameth, inde per campestria Iordanis vsq; in Galgala. Vnde & in 4. libro Regum legimus, quod cum dispo- neret petere fluuium Iordanem, necesse illi erat per Sunam agere transitum, & propterea eam frequentabat. Ex Suna fuit Suna- mitis

raitis illa, cuius filium Helisæus suscitauit, in cuius domo transiens hospitabatur, vt legimus in 4. lib. Regum cap. 4. Ex eadem fuit Abilag Sunamitis, quæ David senescenti ministrabat, vt legimus in tertio Regum cap. 1. Ibidem castra metati sunt Philistini & Saul venit in Galgala.

D. BETHSAN §. 6.

EX Suna 11. leucis contra Orientem ferè, parum tamen declinando ad Austrum, est Bethsan vrbs, inter montem Gelboë & Iordanem sita, distans tamen à Iordane media leuca. In cuius muro, vt legimus in 1. Regum cap. 31. Philistini suspenderunt corpora Saulis & Ionathæ, quæ in prælio corruerunt in monte Gelboë. Dicta est aliquando Scythopolis, vt scribit Iosephus, nunc autè ab omnibus Bethasan nuncupatur. Est enim locus deliciosus valde. Super Bethasan est mons Gelboë, extendens se contra Occidentem per 11. leucas vsq; Iezrael, vbi est fons patentissimus, dictus fons Iezrael, vbi & Philistini disposuerunt castra, cum essent Saul & exercitus eius in monte Gelboë inter Bethsan & ipsum fontem.

D. IEZRAEL §. 7.

A Fonte præfato ad iactum arcus in loco aliquantisper eleuato situata fuit Iezrael, vna vrbum regalium in regno Israel, nunc autem vix 20. domunculas habet, diciturq; Charety, & est in basi montis Gelboë ad occidentem, ante cuius ingressum ad huc ager ostenditur Naboth Iezraelitæ, quæ innocentem lapidibus obrui iussit maledicta Iezabel, vt legimus 4. Regum cap. 9. Iezrael pulcherrimi est prospectus per totam Galilæam vsq; ad Carmelum, & montes Phœnicie, montemq; Thabor & Galaad ultra Iordanem, & totum montem Ephraim. Item à monte Galaad versus Iezrael, in latere septentrionali montis Gelboë est via valde plana à Iordane per Hermon & Salin, vbi erat Ioannes baptisans, & per hanc profectus est Iehu de Ramoth Galaad, cum speculator dixit: Video ego globum, vt legimus 4. Reg. cap. 10.

D. DISPOSITIONIS MONTIS

Gelboë & Hermon. §. 8.

Mons Gelboë & Hermon sic dispositi sunt, ut Gelboë sit ab Austro, & Hermon ab Aquilone. Duarum leucarum spatium mediat inter eos. Longitudo eorum 11. leucis protensa ab Oriente in Occidentem. Uterq; ab Oriente terminatur in Iordane. In planicie intermedia plures & duri conflictus acciderunt. Ibi enim Gedeon debellauit Madian, ut patet in libro Iudicum cap. 7. & Saul congressus est cum Philistiim, & Achab cum Assyrijs, modernis etiam diebus Tartari cum Sarracenis. Et aduerte, quod extat mons alius supra regionem Trachonitidem iuxta montem Seir, qui est longè maior & excelsior hoc monte Hermon præscripto, & ille in multis scripturæ locis appellatur mons Hermon. Vnde patet, tres esse montes Hermon, vnus quidem & maior supra regionem Trachonitidem. Secundus vicinus monti Gelboë. Tertius paruus, qui dicitur Hermonium, de quò supra actum est, & diximus esse tumorem quendam inter montem Thabor & Hermon secundum.

Tartari.

Hermon.

D. CONVALLIS ILLUSTRIS. §. 9.

In planicie media inter Gelboë & Hermon incipit conuallis, dicta illustris, ex sui amœnitate & pulchritudine, de qua est mentio in libro Genesis cap. 14. Extenditur autem à planicie hac per totum defluxum Iordanis usq; ad mare mortuum. Sed & ipsum ante subuersionem Sodomæ & Gomorræ contentum fuerat in conualle illustri, quæ aquis irrigabatur veluti paradisus & Ægyptus.

D. SI IN GELBOE CADITROS. §. 10.

Credunt nonnulli, & prædicant, super Gelboë rorem non descendere, eò quòd Dauid miseratus obitum Saulis & Ionathæ, illic interfectorum, imprecatus est eis in his verbis, (ut legimus in 2. Regum cap. 1.) Montes Gelboë, nec ros nec pluuia cadant super vos, vbi ceciderunt fortes Israël. Ac certè hoc non est

verum:

verum: Nam in festo Diui Episcopi Martini montem ipsum ascendi, & adeò pluit, quod usq; ad carnem madefactus descendi. Insuper eadem vallis inundauit descendentibus aquis. Alio insuper tempore super ipsum Gelboë dormiens sub diuo cum alijs Auctoris multis, rore perfusi fuimus supra modum, & id quidem contigit peregrinatio in omnium sanctorum festo, anno salutis 1283. Est tamen verum, tio, quod eiusdem quædam partes saxosæ, aridæ sunt & steriles, sicut & alij Israël montes.

D. GILIM OPPIDI. §. 11.

Abiezrael quatuor leucis contra Austrum est Gilim oppidum, munitum quidem, sed collapsum, in pede montis Ephraim situm, vbi Samaria initium & Galilæa terminum sumit. Ex Gilim usq; Iordanem septem circiter leucæ mediant contra Orientem, & parti illi iungitur ab Austro regio Naphe, in qua extant montes excelsi valde.

D. SEBASTÆ QVÆ OLIM Samaria. §. 12.

Ex Gilim quinq; leucis contra Austrum tendimus Sebasten, quondam dictam Samariam, caput decem tribuum, & sedem Regum Israël. Quæ cum gloriosa nimis esset, peccatis inhabitantium adeò defecit, ut nec vnā habeat domum, duabus Ecclesijs exceptis, quæ in honorem Diui Baptistæ Iohannis constructæ fuerunt. Verum principaliorem, quæ ut Cathedralis sedes erat, Sarraceni in Mahumeteam commutârunt, in qua turpissimum Mahumeth venerantur. In ea est eiusdem Diui Iohannis sepulchrum, marmore excisum, ad instar sepulchri Saluatoris nostri, in quo idem sanctus inter Helisæum & Abdiam, Prophetas, conditus fuerat. Ecclesia hæc constructa est in latere montis in descensu. Sarraceni Diuum Iohannem præcipua deuotio, ne colunt post Christum, & beatissimam virginem, de ipso alta sentientes. Asserunt enim & confitentur, Christum verè filium Dei, non tamen Deum, beatissimam virginem de Spiritu sancto concepisse, virginem peperisse, & virginem permanisse. Iohannem

Monumentum Iohannis Baptistæ.

nem autem dicunt maximum & sanctissimum Prophetarum, Mahometh Dei nuncium, & ad seiplos tantum destinatum fuisse. Hæc vidi & legi in Alcorano, qui est liber falsæ legis, traditæ à maledicto Mahometh. Altera Ecclesia extat in montis supercilio, ubi & regis palatium constructum fuerat. Hanc inhabitant Græci Monachi Christiani, qui summa humanitate me receperunt, & necessaria ministrarunt. In Ecclesia ipsa ostendunt locum, in quo credunt, & dicunt, Baptistam carceri mancipatum, & in eodem ab Herode decollatum, quod quidem ut frivolum respuo. Nam Iosephus, & sanctorum legendæ, & magister in historijs, & historia Ecclesiastica, communi & concordii assensu scribunt, eum in Machærunta, nunc Aylon dicta, quæ ultra Iordanem sita est, & ego vidi, fuisse decollatum. Præterea Herodes ille, qui Diuum Iohannem decollavit, Tetrarcha existebat Galilææ, & regionis trans Iordanem, quæ quidem est terra Galaad, siue duarum tribuum & dimidiæ, quam eis distribuerat fortissimus Iosua ante transitum Iordanis. Ex consequenti nullam potestatem exercere poterat in Samaria. Subiiciebatur enim Pilato procuratori, sicut Ierusalem & Iudæa. Ergo Iohannem ibi nec carceri addixit nec vita privavit, quia nullum ius in Samaria habere potuit. Decollato tamen eo in Machærunta, discipuli venerunt, ut legimus Marc. 6. cap. tuleruntq; corpus eius, & sepelierunt in Samaria inter Prophetas prædictos. Caput verò eius est Ierosolymis. Tam grandes ruinas in toto terræ sanctæ circuitu, quantas in Samaria, non vidi, cum tamen magnas & multas viderim dignas quidem deploratione. Nec fuit illius dispositionis Samaria, qualem sibi attribuit magister in historijs super verbum illud in quarto Regum cap. 18. Si sufficere poterit pulvis Samariæ pugillis populi, qui sequitur me. Videtur enim magister sentire, parietes urbis, & montis superficiem, fuisse æquales, & desuper ædificia constructa. Quod non sic erat: imò parietes in basi ipsius montis constructi fuerant, turribus fortissimis muniti, mons autem interius in altum paulatim confurgens, ex omni parte ædificijs circumseptus, sicut botrus paulatim crescens in acumine. In montis cacumina regia speciosa nimis erat, ubi & adhuc videntur columnæ plures marmoreæ, quibus deambulatoria palatia suffulciebantur. In circuitu montis

Samaria
ruinæ.

inferius

inferius, sub regia habitatione, ac sub ædificijs nobilium, in loco, ubi platea communis, siue forum rerum venalium reperiuntur marmoreæ columnæ, quæ platearum testudines sustentabant. Plateæ siquidem civitatis iuxta morem Terræ sanctæ, testudine natæ erunt. Ut verbo concludam, nescio quid magnificentiæ & fortitudinis & decoris Samariæ deficeret, quæ tamen nunc adeo defecit, ut in rei veritate facta sit hortus olerum, sicut eius Rex impius Achab de vinea Naboth Iezraelitæ hortum facere voluit, eò quod proxima esset domui regiae. Et iusto Dei iudicio non solum vinea Naboth, sed & Palatium Regium in hortos est commutatum. Samariæ situs pulcher nimis erat: ab ea enim est prospectus vsq; ad mare Ioppes, & Antipatrida & Cæsaream Palaestina, per totum quoq; montem Ephraim vsq; Ramatha Sossim, & vsq; Carmelum. Regio ipsa exuberat fontibus, hortis, oliuetis, bonisq; omnibus, quibus indiget mundus iste.

D. THERSÆ. §. 13.

EX Samaria tribus leucis contra Orientem constructa est civitas Therfa in monte sublimi, in qua aliquanto tempore regnauerunt reges Israel ante constructionem Samariæ, fuitq; in forte Manassæ.

D. THAMPNÆ. §. 14.

EX Thosa sex leucis contra Orientem, in viam, qua tenditur ad Iordanem, est terra Thampnæ, quæ inter cæteros montes habet vnum valde sublimem. Hæc quoq; fuit de tribu Manasse, & protenditur vsq; campestria Iordanis & vsq; Machærunta.

D. MONTIS BETHEL ET

Dan. §. 15.

A Samaria duabus leucis contra Austrum iuxta viam, quæ ducit Sichem, distat mons altus, dictus Bethel, in quo Ieroboam, filius Nabath (qui peccare fecit Israel) statuit vnum ex vitulis aureis, ut scribitur in tertio Regum capite 12. Ieroboam
vituli aurei
Sarrace-

Sarraceni dicunt locum hunc Bothil, nescientes proferre Bethel. Inde ad mediam leucam ad sinistram est mons alius, priore altior, appellatus Dan supra urbem Sichem: In hoc monte Ieroboam dicauit alterum vitulum aureum, ut scribitur in tertio Regum cap. 12. Sunt tamen, qui dicunt vitulum illum constitutum fuisse in ciuitate Dan, quæ nunc Velenas, siue Cæsarea Philippi nuncupatur, & id magis placet Diuo Hieronymo. Eligat quis, quod voluerit: mihi sat est, montem hunc appellari Dan.

D. SICHEM. §. 16.

INter montes Bethel & Dan sita est vrbs Sichem, hodie Neapolis dicta, amœnitate nimia & delicijs abundans, tamen immunita, nec muniri potest, nihilq; aliud superest, nisi quod accedentibus inimicis ad portam, habitatores fugiant per alteram, si pauciores & impotentiores fuerint. Sichem ædificata fuit à Ieroboam, fuitq; prima sedes regni sui, postquam constitutus fuit Rex super decem tribus. Sic enim legimus in tertio Regum, cap. 12. Ædificauit autem Ieroboam Sichem, & habitauit ibi.

D. FONTIS IACOB, ET MONTIVM Garizim & Hebal. §. 17.

A Porta Sichem australi quantum bis iacere posset arcus, est fons Iacob, super quem fatigatus ex itinere, ut legimus Iohannis cap. 4. sedit Iesus, petiuitq; aquam à Samaritana. Fons ipse effossus est in via, qua tendimus in sanctam Ierusalem. Supra fontem ad dextram mons est excelsus, duo habens capita, quorum vnum mons Garizim, alterum mons Hebal nuncupatur. Ibi Iosua ædificato altari, audienti populo, recitauit totum Deuteronomium Moyfi. Sic enim legimus in libro Iosue cap. 8. Media pars populi stabat iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, & cuncta quæ scripta fuerant in legis volumine, replicauit Iosua coram omni multitudine Israel.

D. FANI

D. FANI IOVIS HOSPITALIS. §. 18.

Super montem Garizim adhuc ostenditur vetustissimi Fani locus, quod quidem sub titulo Iouis Olympij Hospitalis constructum fuerat ad instar templi in Ierusalem à Saneballat Duce regionis trans Iordanem, ut deferret genero suo, Manassi qui cum esset de stirpe Leui, voluit summum Pontificatum & sacerdotij officium exercere. Templum hoc usq; ad destructionem per Romanos seruatum fuit. Montem Garizim & templum illud creditur voluisse signare Samaritana, cum dixit Saluatori: Patres nostri in monte hoc adorauerunt. Iohan. cap. 4. Aliter Iosephus Antiq. lib. 13 cap. 17.

D. ANTIQVÆ SICHEM. §. 19.

AD sinistram fontis Iacob oppidum est magnum quidem, sed desertum & dirutum, quod creditur fuisse illa Sichem antiqua, de qua legimus in lib. Gen. cap. 37. quod Iacob habitauit in Sichem, vbi & filij sui pascebant greges, quando missus est ad eos Ioseph. Illic adhuc sunt durata ædificia marmorea, mirandæq; columnæ, ex quibus arguimus, quàm gloriosa fuerit. Locus quidem amœnissimus est & fecundus valde, nisi quod aquis fluuiialibus caret. Ideo necesse fuit Iacob effodere magnum puteum, ut sufficeret habitantibus & pecoribus. Indigenæ mihi dixerunt, locum illum nunc Istar ab eis appellari. Distat autem ab Istar ea, quam diximus nuncupari Neapolis, iactu duorum arcuum, & in hac Neapoli æstimo fuisse oppidum Thebes.

D. PRÆDII IOSEPH. §. 20.

Fonti Iacob adiacet prædium, quod dedit Iacob filio suo Ioseph extra fratres suos, de quo sic legimus in libro Genesis cap. 48. Dixit Iacob filio suo Ioseph, do tibi partem vnâ extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Prædium illud vallis est longa, admodum fertilis & amœna, & nescio vallem æquè grandem in delicijs illi similem. In Sichem sepulta sunt ossa Ioseph, adducta de Ægypto. Sic enim ad-
Ioseph i Patriarchæ monumentum iura- tum.

iurauerat fratres suos, vt scribitur Genesis cap. vlt. Quod autem in Sichem recondita fuerint, testatur liber Iosue cap. 24.

D. LEBNÆ. §. 21.

EX Sichem 4. leucis iuxta viam tendendo Ierusalem sanctam ad dextram est Lebnæ, casale quidem pulchrum valde. Dico autem casale, quoniam alia est vrbs Lebnæ in tribu Iuda, quam expugnauit Iosua. Sic enim legimus in lib. Iosue cap. 10. Transiuit Iosua cum omni Israel de Maceda in Lebnæ, & pugnabat contra eam, quam tradidit Dominus cum Rege suo in manus suas, percusseruntq; urbem in ore gladij.

D. MAGNAS OPPIDI.

§. 22.

EX Lebnæ 5. leucis contra Austrum est oppidum Magnas, nunc autem nuncupatum Bira, fuitq; his diebus sub ditione militiæ templi. Iuxta latus eius australe locatæ sunt metæ inter tribum Ephraim & Beniamin.

D. GABAE SAVLIS. §. 23.

EX Magnas vna leuca contra Austrum est Gabaa Saulis, in qua, vt legimus in lib. Iudicum cap. 20. oppressa est vxor illius Leuitæ proficilientis ex Berthehem, propter cuius vltionem ferè tota tribus Beniamin deleta est, vt patet in libro Iudic. cap. 21. In Gabaa ortus est Saul, primus Rex in Israel.

D. RAMÆ. §. 24.

EX Gabaa spacio vnius leuæ contra Austrum est Rama, in monte condita ad sinistram eunti Ierusalem, non longè extra viam. De hac creditur dictum fuisse illud Ieremiæ cap. 31. Vox in Rama audita est. Nolo enim te ignorare, studiosè Lector, in terra sancta plures fuisse Rama. Prima iuxta Theu-

Roma 6.
100. 11. 12.

cuana

etiam via, quam tendimus in Hebron. 2. in tribu Neptalim, proxima castro Sepher. 3. iuxta Sephron. 4. est in Silo. 5. est iuxta Gabaa. Et de hac nunc est sermo. Omnes quidem in hoc conueniunt, quod in collibus altis constructæ existunt. Ex hac Rama, vltimo dicta, tribus leucis contra Austrum, est vrbs sancta Ierusalem, quam & præfens prætereo. Vtile est enim redire per Sichem, & primo vrbs illas colligere de angulo montis Ephraim, ac resumere quæ dimisi.

D. EMON ET PHASEL.

li. §. 25.

* Forfan
Phasaelum
dicit de

Post Sichem contra Orientem processu ad Iordanem quatuor leucis est Emon, oppidum grande, ameno loco constructum, omnibus mundi bonis abundans, fuitq; de sorte Ephraim. Tribus leucis à Iordane est Phasellum casale in campetribus, vbi torrentis Carith decurrit ex monte. In Carith præcepto Domini Helias pascebatur à coruis. Sic enim legimus in 3. Regum cap. 17. Sedit Helias in torrente Carith, qui est contra Iordanem, corui quoq; deferebant ei panem & carnes mane & vespere.

D. CASTRI DOCH.

§. 26.

Post Phasellum ad sinistram vna leuca versus terram Tepnæ est castrum Doch, vbi Ptolomæus dolosè derinuit & interemit Simonem Machabæum. Ex hoc loco plenè videtur terra Galaad & duarum tribuum & dimidiæ terra. Esbon, montes Moab, mons Abarim & Phaga & Nebo, & descenditur in campetria Iordanis, suntq; deinceps loca plana vsq; Iericho & vltra per totum decursum Iordanis, vsq; ad mare Salinarum. Montes etiam Abarim, & Phagor, & Phalsa, & Nebo sunt directè contra locum hunc vltra Iordanem. Scias insuper, quod ab ortu Iordanis sub Libano, vsq; ad solitudinem Pharan, ferè per centum miliaria, ipse Iordanis in vtroq; littore campos habet latos & amenos, qui retrò circumdantur altissimis montibus.

H 2

D. GAL.

D. GALGALÆ §. 27.

Post Doch ferè contra Austrum, paululum tamen cum declinatione ad Occidentem, leucis est locus Galgala, in quo, ut legimus in libro Iosuae cap. 5. filij Israel circumcisi sunt præcepto Iosuae, & postquam omnes circumcisi fuerunt, castrametati sunt illic multis diebus transito Iordane, & propterea vocatum est nomen loci illius Galgala usque in præsentem diem.

D. QVARIANTANÆ * §. 28.

* Meminit
Arnoldus
Lib. lib. 2.
cap. 7.

EX Galgala ad dimidiam leucam tendendo in Iericho ad extram iuxta viam est mons, dictus Quarantana, ubi mundi Saluator quadraginta diebus & noctibus cibum nullum sumpsit. Altus est nimis, & ascensu difficilis. Tentatus autem fuit in alio monte, qui duabus leucis distat à Quarantana, supra in deserto, à latere australi, Bethel & Hai.

D. FONTIS HELISÆI. §. 29.

Sub Quarantana ferè iactu duorum arcuum oritur fons Helisæi, cuius aquas, cum essent amaræ & steriles, dulcoravit Helisæus immisione salis. Sic enim legimus in lib. 4. Regum cap. 2. Egressus Helisæus ad fontem aquarum, misit in eis Sal, & ait: Hec dicit Dominus, sanavit aquas has, & non erit ultra in eis mors neque sterilitas. Fons ille decurrit iuxta Galgalam à parte australi, impellitque molendinam, deinde in riuos diuisus, irrigat canamellas & hortos, demum in Iordanem se recipit. Iuxta Galgalam contra Austrum ad dimidiam leucam est vallis Achor, in qua iubente Iosua, idem Achor lapidibus obrutus est pro expiando furto anathematis, ut legimus Iosuae cap. 13.

Vallis
Achor.

D. IERICO. §. 30.

Algala contra Orientem leuca vna distat Iericho, vrbs quidem quondam sublimis, nunc autem vix 9. domos habet, nec meretur dici parua villa, omniaque monumenta sanctorum

rum locorum penitus deleta sunt. Ex Iericho duabus leucis extat capella, diuo Baptistæ dicata, ubi creditur Saluator fuisse baptizatus. Opinantur tamen quidam iuxta Balim id actum fuisse, sed Ecclesiæ solennitas contradicit. Gesta in Iericho satis nota: ideo ea non describo.

D. BETHAGLÆ. §. 31.

EX Iericho duabus leucis iuxta mare mortuum est Bethagla, ubi Ioseph & fratres, deducentes ex Ægypto corpus patris Iacob, planxerunt septem diebus, ut legimus Genesim cap. 50. propterea vocatus est locus ille Bethagla, .i. domus planctus. Distat autem leuca vna à Iordane, & ibi inhabitant Monachi Græci.

D. MARIS MORTVI SIVE LACVS
Asphalti. §. 32.

AIericho tribus leucis, similiter à Iordane & capella Diui Baptistæ, distat mare mortuum, quod & locus Asphalti, id est, bituminis, vel mare salis nuncupari solet. Diuidit quidem Arabiam & Iudæam, estque in littore eius Orientali terra Moab & Ammon, & mons Seir, de quibus actum est supra, extenditurque usque Cadesbarne, & desertum Pharan. Ostenditur circa medium eius in Orientali littore castrum Monichal, quod antiquitus Petra deserti, nunc autem Charach dicitur, munitum valde. Balduinus enim, Rex Ierusalem, ædificauerat pro Ierusalem regno dilatando. At nunc Soldanus detinet, & in eo reponit thesaurum Ægypti pariter & Arabiæ, quem exigit à sibi subiectis.

D. ARIOPOLIS. §. 33.

EX Charach tribus diebus contra Vulturum est Ariopolis, dicta nunc Petra, metropolis totius secundæ Arabiæ, de qua actum est supra. Olim tamen Ar nuncupata fuit, eratque in torrente Arnon condita, in confinijs Moabitum & Amorrhæorum. In eodem littore est locus, ex quo Balaam populo Dei maledixit.

Post Iericho contra Austrum est Segor oppidum. In eo Saluatus est Loth, quando Dominus Sodomam subuertit. Sic enim legimus Gen. cap. 19. Festina, & saluare ibi, idcirco appellatum est nomen illius loci Segor. Situm est autem sub monte Engad, inter quod & mare mortuum est statua salis, in qua conuersa est vxor Loth, vt patet Genes. cap. 19. Quam vt viderem, ingentes subij itinerum labores, sed nec desiderium meum complere datum est. Retulerunt siquidem mihi incolae, locum esse inadcesibilem, vel saltem non sine periculo mortis, propter feras immanes & serpentes, praecipue vero propter Beduinos, qui loca illa inhabitant inhumani, & pessimorum morum.

Metamor-
phosis ux-
oris Lothi.

Beduini.

D. SPATII ET MIRANDARVM CON- ditionum maris mortui. §. 35.

Mare mortuum habet in latitudine ab Oriente ad Occidentem leucas 30. In longitudine autem ab Aquilone ad Austrum assertionem Sarracenorum, à quibus diligenter percunctatus sum, habet quinque dietas. Iosephus * autem scribit, ipsum continere in longitudine stadia 530. quod magis verum reputo. Creditur à nonnullis, ipsum continuari cum mari rubro, propter aquas illas, quae in libro Exodi aquae Marath nuncupantur, quod vt mihi suadere conatus est Ierosolymitanus Patriarcha Graecus, terrae illius sedulus inuestigator. Verum an sic se habeat, incertum relinquo: neque enim personaliter vsque illuc procedere valui. Mare mortuum semper est fumans, & tenebrosus, sicut os inferni. Oculis meis vidi simul cum alijs pluribus socijs teterrium & malum vaporem, ex mare mortuo fumantem. Vallis illa, quae in Gen. cap. 14. illustris dicta est, & verè sic erat, à termino huius maris apud desertum Pharan vsque supra Iericho media dieta, ferè sterilis & inutilis reddita est, ita vt nec germen producat aliquod in sui latitudine, quae aliquando est quinque; aliquando sex leucarum, praeterquam iuxta Iericho, vbi Canamellae, & horti, & viridaria irrigantur fonte Helisaei. Et hoc quidem, prouenit

* Lib. 5. de
bello iudaico.
cap. 5.

Halitus pestilens.

prouenit ex certo Dei iudicio, qui tot annorum seculis peccatum vltiscitur Sodomorum, vt etiam regio ipsa poenas luere videatur. A dextris insuper & à sinistris montes steriles sunt, & aridi, vel barbarae habitationis, per multa & longa terrarum stadia, ad quae impellente vento vapor ille pertingere contingit. Dicunt nonnulli, Iordanem aquas suas in hoc tremendo & fetido mari non permiscere, sed priusquam mare ipsum attingat, sub terram se recipere. Attamen Sarraceni asseruerunt mihi, ipsum quidem ingredi mare, sed & exire, ac interposito modico intervallo, ab egressu sub terra absorberi. Excrescit mare mortuum aliquando resolutione nivium ex Libano alijsque montibus, aliquando inundatione Iordanis & torrentis Iaboc & Arnon & Zareth, aliquando pluuijs, defluentibus in Galilaea, in monte Galaad, in terra Ammon, in terra Moab, ex Seir, ex quibus omnibus pluuiiales aquae in Iordanem descendunt, & demum mare mortuum ingrediuntur. Inuenitur in mari mortuo bitumen collectum, ex eius fundo ascendens, quod vento agitante congregatur ad inuicem, appulsusque littoribus extrahitur. Est medicinale virtuosum, & valde durum, nec soluitur nisi menstruo sanguine, diciturque gluten Iudaicum. Vnde mare ipsum La- Gluten Iudaicum
cus alpalti appellatur. Dicitur in Genesi cap. decimo quarto, quod vallis illustris, quae nunc est mare Salis, puteos multos bituminis habebat, & hodie etiam plures sunt in littore maris dispositi, quos vidi ego, estque iuxta quemlibet Pyramis erecta. Et haec de mare mortuo dicta sunt.

D. H A I. §. 36.

Supra Galgalam in montanis contra Occidentem tribus leucis in parte Occidentali Quarantanae, vrbs est Hai, quam Iosua, vt legimus in eiusdem lib. cap. 8. postquam expugnauit, succendit igni, interfecto eius Rege, cunctisque habitatoribus, & fecit eam in tumulum aeternum.

D. BETHEL. §. 37.

Ex

Confutatio
assertionis
falsæ.

EX Hai ad leucam vnam, ferè contra Aquilonem, paululum tamen declinando, est Bethel ciuitas, quæ prius Luza vocata est, vt legimus Genes. cap. 35. Hæc est in tribu Benjamin, vbi Iacob, proficiscens in Mesopotamiam, fugiens Esau, fratrem suum, lapidem capiti supponens obdormiuit, viditque in somnijs scalam, & Angelos ascendentes ac descendentes, & erexit lapidem in titulum, appellauitque nomen loci Bethel, id est domus DEI. Errant, qui credunt Bethel hanc esse in Ierusalem. Nam eo tempore Melchisedech in Ierusalem regnauit, eratque vrbs gloriola. Si ergo Bethel in Ierusalem extitisset, non vtrique esset verum, Iacob dormisse in campo. Præterea in hoc Bethel ostenditur lapis erectus in titulum, & sepulchrum Delboræ, nutricis Rebeccæ, subtus in valle, quæ tamen constat non esse in Ierusalem. Et qui hæc dicunt, in alio non habent fundamentum, nisi in quibusdam versibus, qui nullius sunt autoritatis, sc. Soly-ma, Luza, Bethel, Ierusalem, tebus, Ælia. Vrbs sacra Ierusalem dicitur atque Salem. Verum à sic dicentibus vellem erudiri, in quo loco veteris vel noui Testamenti testimonium reperiunt Ierusalem dictam fuisse Luzam, vel Bethel, nisi fortè velint templum Bethel, id est, domum Dei appellare. Sed est in æquiouoco laborare. Hoc enim sensu omnis Ecclesia dici potest Bethel. Præterea super illud Gen. cap. 13. Reuersus Abraham per iter, quo venerat in Bethel, gloriæ Diui Hieronymi, qui locum ipsi visitauerat, sic habet: Bethel ciuitatiuncula est duodecim ab Ierusalem lapide, id est milliari (in termino n. cuiuslibet milliari in signum statuebatur lapis erectus) in tribu Benjamin ad dextram euntibus Neapolim, quæ prius Sichem, iuxta Luzam, quæ est in tribu Ephraim, & proxima diuisio inter Benjamin & Ephraim in medio eius transit. A Bethel ad leucam vnam contra Aquilonem versus Rama, quæ & Silo dicta fuit, est palma Delboræ, de qua sic legimus in libro Iudicum cap. 4. Erat autem Delbora Prophetes, vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore, & sedebat sub palma, quæ nomine eius vocabatur. Hæc misit Barach ad debellandum Sisaram in monte Thabor.

D. ANATHOT. §. 38.

Ex

EX Bethel duabus leucis contra Aquilonem, ab Ierusalem leuca vna, non longè à Rama Benjamin est Anathot, viculus sacerdotum, ex quo Ieremias Propheta oriundus extitit. Vnde sic legimus in argumento super Ieremiam: Ieremias Anathotites, qui est viculus, tribus à Ierosolymis distans milliariibus. Iuxta Anathot inter Orientem & Austrum, incipit solitudo illa, quæ mediat inter Ierusalem & Iericho, nunc desertum Quarantana dictum, extenditurque supra Galgalam, & vsque ad desertum contra Thecuam, & Engaddi iuxta mare mortuum.

D. VINEÆ BALSAMIN EN-
gaddi. §. 39.

Supra mare mortuum in littore eius Occidentali de Segor leuca vna est ascensus montis Engaddi, in quo Dauid latuit ex 1. Regum cap. 24. cum insidiaretur ei Saul. In circuitu ipsius montis, & in ipsa vinea Balsami confita erat. Sed Herodis Magni tempore Cleopatra, Ægypti regina, in odium ipsius Herodis, fauente sibi Antonio, transtulit eam in Babyloniam Ægypti. Et non colitur in Ægypto vinea illa nisi à Christianis, rigaturque aquæ fontis, in quo fama est beatissimam virginem sæpe infantem Iesum lauisse, cum fuisset propter Herodem in Ægyptum. Sunt tamen adhuc furculi vinearum valde nobiles in Engaddi, vt ad literam verificetur, quod scribitur in Canticis cap. 1. Botrus Cypri dilectus meo mihi in vineis Engaddi. Verum Sarraceni non colunt illas, & Christiani non habitant illic, qui colere eas valent. Sub Enggaddi iuxta littus maris mortui arbores quidem sunt visu pulcherrimæ, sed fructus earum cum discerpitur, in trinit fecus fauilla & cinere plenus inuenitur. Montes Engaddi sublimis sunt valde, & mirabilis dispositionis, prærupti rupibus & vallibus, adeo quod similes non vidi, qui & videntibus incutiunt horrorem.

D. ADOMIM. §. 40.

EX Iericho quatuor leucis contra Occidentem via, quæ ducit Ierusalem, ad sinistram Quarantane, est castrum Adomim,

mim, vbi secundum Lucam cap. 10. quidam descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones, quod & modernis temporibus multis contingit, & à frequenti sanguinis effusione locus ille nomen accipit. Est enim horribilis visu, & periculosus valde, nisi quis fuerit cum optimo comitatu.

D. BAHVRIM. §. 41.

Semei.

EX Adomim duabus leucis contra Occidentem est castrum Bahurim de tribu Benjamin, ex quo Semei, filius Iemini, qui, vt legimus in 2. Regum cap. 16. maledixit Dauid, cum egressus esset Ierusalem, fugiens, ne Absolon, creatus Rex in Hebron, comprehenderet eum. Est castrum perpulchrum, & valde munitum, in loco alto conditum. Inferius autem in valle contra Orientem in via regia est lapis, dictus Beon Ruben, magnus in modum clibani, videturq; esse marmor.

Beon.

D. BETHANIE. §. 42.

EX Beon contra Occidentem, quantum est iactus duorum arcuum, in loco procliuiore est castellum Marthæ & Mariæ, Berhania, ante cuius introitum minus quam sit iactus lapidis iuxta cisternam in campo ostenditur locus, vbi Dominum Bethaniam venienti occurrit Martha, deinde Maria vocata. In Bethania adhuc ostenditur Simonis leprosi domus, in qua recubuit Saluator. Item domus Marthæ, in qua hospitari solitus erat, quæ hodie est Ecclesia in honorem Marthæ & Mariæ constructa. Item sepulchrum Lazari, ex quo suscitatus est propinquum dicte ecclesiæ, vbi & erecta est marmorea capella decens & pulchra, monumentumq; ipsum marmore rectum est, in quo & ego descendi. Sarraceni præcipua veneratione colunt illud propter miraculum suscitati Lazari, à Saluatore factum. In recessu à Bethania nondum apparet sancta Ierusalem propter montem Oliueti interpositum: sed ascenditur primò quidam terræ tumor, & pars dilectæ ciuitatis cum monte Sion ponitur in prospectu. Eia clementissime Deus, quot deuotæ lachrymæ, quot pectorum tumfiones, quot gratiarum actiones sunt in loco illo, peregrinorum, videntium

Simon leprosus.

Auctoris exclamatio.

videntium exultatione vniuersæ terræ, urbem sanctā regis magni. O quanta exultatio ibi erit videre locum gloriæ tuæ, bone & verè Iesu, si ignominie & confusionis tuæ locus cum tanto mentis iubilo videtur & colitur. Sed iam omisis om nibus ad sanctissimæ Ierusalem descriptionem festinemus. Descenditur igitur de monte, & iterum Vrbs sancta occultatur. Iterum sub latere orientali montis oliueti iuxta Bethphage, quæ ad iactum lapidis ad sinistram relinquitur. Sub monte offensionis in valle est viculus admodum parvus: ibi ascenditur per latus australe, & gyra- tur mons Oliueti, & peruenitur ad locum, vbi Dominus alinum ascendit, vt legimus Matth. cap. 21. Et statim oculis nostris tota Ierusalem obijcitur cum templo & Ecclesia sanctissimi sepulchri, alijsq; locis sacris. Videtur ergò post descensum montis Oliueti, vbi turbis præcedentibus, & clamantibus: O fanna filio Dauid, latantibusq; de benedicto & salutifero eius aduentu, pijsimus Iesus videns ciuitatem, & eius excidium, fleuit amarissime super illam. Procedamus ergò, & ingrediamur locum orationis eius in angoniam, & locum captionis eius in Gethsemani, transeamus torrentem Cedron, & sequamur, si quò modo concedatur venire in Golgatha, vbi steterunt in cruce fixi fluentes sanguine diuini pedes eius. Moriamur ibi cum Christo, dulcissimo Saluatore nostro, & cum ipso pariter innouati Spiritu resurgamus.

DESCRIPTIO SANCTÆ VRBIS
Ierusalem. §. 43.

Ierusalem igitur ciuitas Dei summi, de qua dicta sunt & quoti- die dicuntur magna ac mirabilia, situm habet montuosum, montibus insuper circumdatur, de quibus infra dicturi sumus: cuius regio fertilis & amæna, præterquam contra Orientem & Iordanem. Distat ab Achon leucis tribus, quæ est contra Aquilonem, à Sebeste siue Samaria 16. à Sichem 13. à Nazareth 27. Hæ omnes contra Aquilonem. A Ioppe 23. Hæc ferè est occidentalis, parum tamen Aquilonaris. A Iericho 7. Hæc est orientalis. A Bethlehem 2. A Thecua 4. Ab Hebron 8. Hæ sunt contra Austrum. Est autem in decliui latere montis sita, partim quidem ab Austro, partim ab Occidente. Ab Austro sita est in latere montis

*Hierosoly-
mae situs
hodiernus.*

montis Sion, imò partim in monte, partim in eius descensu, descenditq; longitudo eius ab ipso monte Sion, se extendens contra Aquilonem. Ab Occidente habet montem Gihon, & pendet ab eo, cuius latitudo contra Orientem est vsq; ad torrentem Cedron, siue vallem Iosaphat, & est ciuitas euidenter magna, vt infra dicturi sumus. Nec verum est, vt quidam opinantur, ipsam nunc in alio loco sitam esse, quam fuerit Dominicæ passionis tempore, adducentes pro sua ratione, quòd cum Dominus extra portam passus fuerit, teste Paulo ad Hebræos, & hodiè passionis locus intra ciuitatis mœnia videatur, ideo ad alium locum translata sit. Tales sic dicunt, quia regionem & urbem ipsam non viderunt. Situs Ierusalem est, & semper fuit talis, quod stante templo DOMINI intra eius mœnia, vanum fuisset, imò impossibile, eā ex toto ad alium locum transferre propter locorum munitionem ex omni parte, consimilē enim munitionem alibi habere non posset vllò ingenio. Est tamen in tei veritate eius latitudo amplior effecta priori, sua longitudine seruata, statq; tota antiqua ciuitas intra muros, & habitatur. Licet pauci hoc tempore sunt habitantes, conspecta tantæ vrbis capacitate: habitatores siquidem penè in continuo timore constituti sunt. Dispositionem Ierusalem antiquam, pro virili mea inuestigare studui. Erat quidem antiquitus, sicut & hodie, mons Sion pro sui parte supereminens ciuitati, capax valde, vt videatur se solo posse fundare ciuitatem. Qui mons Sion sumens principium à porta aquarum, siue fontis Siloë, contra Orientem constituit semicirculum, contra Austrum vsque ad Occidentem, vbi erecta fuerat turris David, eratque per totum semicirculum rupes prærupta, similiter arcus est semicirculi, qui appellabatur Mello, ad cuius repletionem inter montem Sion & ciuitatem inferiorem, reges Iuda leguntur plurimum laborasse. Turris David in quodam colle ipsius præruptæ rupis satis eminenti, contra Occidentem constructa fuerat, & vorago ipsa correspondens parti Australi montis Sion, cingens eam vsque ad occidentem, vbi turris David tangebatur rupem, statim curuabatur inclinando se ab Occidente, contra Orientem gyrans ipsam turrim. Sicque turris in rupe in quodam angulo illius voraginis constituta fuerat. Vallis autem siue vorago, quæ ipsam cingebat, secabatur in duas profundas.

daa.

Sion.

*Mello.
Turris David.
vidis.*

valles, quarum una contra Aquilonem, alia contra orientem procedebat. Hæ duæ valles constituebant angulum, oppositum angulo, in quo sita fuerat turris David, qui angulus erat de ciuitate inferiori, vt infra dicitur. Vallis igitur illa, quæ ex turri David descendebat in latere aquilonari montis Sion, vsque ad montem Moriam, super quem templum constructum fuerat, separabat montem Moriam a monte Sion, totumque ciuitatem inferiorem, descendebatque vltra vallis hæc siue vorago vsque in torrentem Cedron per locum, vbi nunc est aquarum porta inter montem Sion & palatium Salomonis, quod ædificatum fuerat in parte Australi montis Moriam. Sicque vorago ista antiquitus ex omni parte cingebat montem Sion, & hæc erat ciuitas David. Verum nunc vorago ipsa tota est terra repleta, cuius causam dicam infra: possunt tamen eius vestigia adhuc depræhendi. Secunda vorago, siue vallis, quæ secabatur à prædicta sub turri David, procedebat contra Aquilonem, eratque ciuitati pro vallo vsque ad finem eius in parte Aquilonis. Supra vallem per totum interius rupis eminens, quam Iosephus appellat Acram, constructus fuerat ciuitatis paries, circumdans eam ab Occidente, vsque ad portam Ephraim, ibique iterum curuabatur contra Orientem vsque ad portam anguli, quæ constituta erat in angulo ciuitatis, qui erat contra angulum Aquilonis & Orientis: & ibi iterum curuabatur paries de Aquilone per Orientem contra Austrum extra arcam templi, includens eam & domum Regis & portam Siloë, iuxta montem Sion ad Orientem. Rupes autem illa, super quam, vt diximus, ciuitatis paries ab Occidente constructus fuerat, eminens erat valde, & maximè in angulo, vbi parietis pars occidentalis copulatur cum aquilonari. Ille enim locus erat turris dicta nebulosa, & castellum valde firmum, cuius ruinæ adhuc extant ibi. Sunt tamen qui dicunt, turrim nebulosam fuisse iuxta templum, quod loci dispositio & decliuitas non admittit. Ex hac rupe, vt iam diximus, ex parte Occidentis dependebat ciuitatis latitudo, declinantis paulatim vsque ad Orientalem, protensum vsque ad torrentem Cedron, vbi ciuitas erat, & etiam nunc demissior. Vnde & ibi ciuitatis sordes per sterquilinijs portam defluebant in torrentem Cedron. Extra voraginem sæpius dictam est parte occidentis ad sinistram euntibus de porta veteri, siue iu-

Acra.

Turris nebulosa.

sue iudiciaria, fuit Saluator cruci affixus, post cuius passionem longo tempore vorago illa repleta est. Et murus altus aedificatus à turri David, usque ad portam Ephraim, quæ nunc porta sancti Stephani appellatur. Vides itaque quod ab Austro mons Sion, ab occidente verò rupes illa, quæ montis Gihon pars existebat, supereminebant vrbi, & sub his duobus montibus contra Orientem & Aquilonem tota ciuitas quasi in decliui montis latere pendebat. Mons Moria, super quem Domini templum & Regis palatium constructa fuerant, aliquantulum altior erat ipsa vrbe, vt patet ex situ templi, & secundum quod Iosephus scribit. Quæ loca nunc sunt omnino explanata, & ferè demissiora residuo ciuitatis. Explanatus enim fuit mons Templi per Romanos, & tractus in torrentem Cedron cum omnibus ruinis templi & atriorum, quod hodie palam est videre. Arca templi quadrata est, habens longitudinem & latitudinem quantum iacere posset arcus. Templum, quod in ea aedificatum est post deuastationem per Romanos factam, in eodem loco situm est, in quo verum & antiquum templum per Salomonem constructum fuerat. Nam quatuor atria erant intermedia, sed & præsens templum distat à torrente Cedron passibus multis. Non ab longè area templi contra Aquilonem, minus quàm iactus est lapidis, exerat porta vallis: per eam enim erat descensus in vallem Iosaphat. Dicitur & porta gregis, quando per eam introducebantur greges, immolandi templo. Huic adhærebat turris, quam quidam arbitrantur Nebulosam, vel Ananahel. Sed erat turris Phasel, cuius adhuc vestigia apparent. Intrans portam gregis ad sinistram iuxta aream templi occurrit Piscina probatica, in qua Nathinei hostias lauabant, præsentantes eas sacerdotibus in templo offerendas. Hæc adhuc ostenditur quinque porticus habuisse, in quibus iacebant languentes, expectantes aquæ motum. Ad dextram verò viæ prædictam portam intrans in ecclesia sanctæ Annæ ostenditur piscina grandis, dicta piscina interior, quam rex Ezechias hoc modo fecit. Obrurauit superiorem fontem aquarum Gihon, conuertitque aquas eius subtus ad occidentem vrbis David per vallem paulo ante dictam, incidens petram ferro, & inducens aquas per ciuitatis medium in piscinam istam, vt in obsidione haberet populus aquas ad bibendum, & eas non possent

Phaselus.

Piscina probatica.

Gihon.

Assyrij

Assyrij prohibere, fontem verò aquarum Gihon, qui non longè distat ab agro fullonis, duxit in piscinam superiorem, quæ est super natatoria Siloë, quam Achaz inceperat, sed non perfecerat. De hac piscina, & hoc fonte, eiusque situ, dictum est illud Esaie cap. 7. Egredere ad extremum aquæductum piscine superioris in via agri fullonis. Est enim piscina hæc & dicitur superior respectu natatoria Siloë. Ipsa enim natatoria Siloë ex hac piscina & ex fonte Siloë aquam recipit tanquam inferior. Et pro maiori noticia piscinarum Ierusalem, de quibus sacræ literæ loquuntur, scias tantum quatuor fuisse celebres piscinas. Prima & præcipua fuit probatica, quinque porticus habens. Hanc construxit Salomon in ministeriū templi. Secunda fuit iuxta illam contra Aquilonem in ecclesia sanctæ Annæ, dicta interior. Hanc fecit Ezechias eo modo, quo exposuimus. Tertia est natatoria Siloë, constructa sub monte Sion, iuxta agrum Akeldama, recipiebatque aquam ex fonte Siloë, quam & Ezechias fecit. Quarta erat piscina superior, de qua proximè dictum est: hanc similiter fecit Ezechias. Quod si alicubi scriptum legatur, hanc quartam piscinam fuisse in ciuitate, non est verum, imò impossibile. Hoc dixerim, quoniam scio nonnullos asseuerare, ipsam fuisse in ciuitate, ac recepisse aquam ex fonte Siloë, quod esse non potuit, cum ciuitas esset altior quadringentis cubitis ipso fonte Siloë, nec aqua ad tantam altitudinem potest sursum fluere. Verum est tamen, quod recipit aquas ex fonte Siloë, & fonte inferiori aquarum Gihon, eo quod est extra ciuitatem sub ipsis fontibus non longè à natatoria Siloë. Præter has quatuor piscinas non legi, nec vidi alias in Ierusalem esse, vel fuisse antiquitus, nisi forte quis mare æneum, fabricatum in faciem templi, inter piscinas numerare velit. Berilia tamen quædam modernis temporibus constructa sunt infra urbem non longè à domo Patriarchæ & Hospitalis S. Iohannis, de quibus nulla est mentio in scripturis sacris. Vallis Iosaphat Ierusalem circumdabat ex parte Orientis sub monte Oliueti, quæ etsi adhuc satis profunda sit, multum tamen iussu Romanorum repleta fuit. Nam vt scribit Iosephus, ex ea parte oppugnantes, incisis Oliuetis, alijsque arboribus, & aggeribus inde fa-

ctis

Ais, repleuerunt eam. Insuper deuicta & expugnata vrbe, ex-
 planarunt Domini templum, & Regis atria, & montem Moria,
 super quem aedificata fuerant, vt de cætero locus iterum muniiri
 non posset, iusseruntq; omnia detrahi in torrentem Cedron. Sub
 monte Sion contra regiam Salomonis in occidentali latere val-
 lis Iosaphat est fons Siloë, ex quo per aquæ ductum fluit aqua in
 superiorem piscinam, & natatoria Siloë, quando exundat aquis,
 non enim fluit continuè sed interpolatim. Vtraq; piscina sita est
 in basi montis Sion inter ipsum & Akeldama, qui ad Austrum
 earum iacet. Ascendit insuper ad has piscinas aqua fontis infe-
 rioris Gihon, qui ortum habet supra agrum fullonis iuxta lo-
 cum vbi Rabfaces, vt legimus in 4. Regum cap. 18. exprobrauit
 Deo excello, stante & audiente populo super murum. Iuxta pi-
 scinas has ad iactum lapidis ultra vallem in parte eius australi est
 Akeldama. Akeldama in sepulturam peregrinorum emptus 30. argenteis,
 precio Saluatoris venditi, vt legimus Matthæi 27. cap. Multa
 sunt in eo constructa monumenta preciosa. Infra piscinas pro-
 ximè dictas & Akeldama contra Orientem defluit torrens Ce-
 dron, collectis in simul aquis, quas secum trahit à superioribus, sc.
 Rama & Anathot & sepulchro reginæ Adiabenorum. Iungun-
 tur insuper ei aquæ extes de præfatis piscinis, descenduntq; in
 vallem Gehennon, quæ & locus Tophet apellatur, in qua quidem
 valle est lapis Zoëleth & fons Rogel, vbi, vt legimus 3. Regum
 cap. 1. Adonias, filius regis Dauid affectans regnare, struxit nobile
 conuiuium. Ibidem sepultus quiescit Esaias Propheta, qui iuxta
 fontem Siloë ferra sectus fuit. Sunt loca hæc deliciosa valde hor-
 tis & viridarijs, torrente Cedron irrigante illa. Suprà fontem
 Rogel est mons offensionis. Et in valle proximè dicta filij Israël
 idolis seruientes traieciabant filios suos per ignem, vt legimus in
 quarto Regum cap. 17. Hactenus dixerimus de dispositione &
 situ sanctæ vrbis. Superest vt quatuor iterum consideremus:
 Primò de vrbis ambitu & magnitudine sua. Secundò de portis
 Ierusalem, in sacris literis totiens nominatis. Tertiò de monti-
 bus in circuitu eius. Quartò de locis sacris & venerandis intus
 & extra Ierusalem.

DESCRIP-

DESCRIPTIO MAGNITVDINIS ET
 ambitus Ierusalem antiquæ. §. 44.

DE magnitudine inclytæ Ierusalem sciendum est secundum
 Iosephum, quod dempto monte Sion amplectebatur per
 gyrum stadia 33. computato autem monte Sion, murus exteri-
 or, qui tertius erat, secundum Iosephum, habuit 90. turres, quæ
 singulæ distabant ab inuicem ducentis cubitis, hoc est, trecentis
 pedibus, ex quibus resultant 67. passus, medij inter turrim & tur-
 rim. Multiplicatis autem 67. passibus per nonaginta, resultant
 quinq; millia quadringenti. Cum igitur 225. passus constituant
 stadium, si diuiseris quinq; millia quadringenta per 125. exhibunt
 40. stadia, quæ constituunt quinq; milliaria. Et hic erat ambi-
 tus gloriolæ Ierusalem antè destructionem per Romanos, cui
 interfuit ipse Iosephus. At postquam ad fidelium manus deue-
 nit, ampliata est, eo quod DOMINI sepulchrum inclusum est,
 quod extra portam, sicut & Caluariæ locus, erat. Qua de causa
 si Ierusalem tota antiqua habitaretur, nunc ambitus eius maior
 existeret. Metitus sum ego Ierusalem antiquam, quæ passio-
 nis tempore integra & populosa apparebat, inueniq; per diame-
 trum à porta vallis vsq; ad portam veterem 800. passus. Et hæc
 fuit antiquitus latitudo sua, quæ hodie longè maior est. Nam
 mons Caluariæ, qui extra veterem portam existerat, iam clau-
 ditur inter ciuitatis mœnia. Quod & probare intendo ex aucto-
 ritate venerabilis patris, Domini Iacobi de Vitriaco, Ierusalem
 Patriarchæ, & Apostolicæ sedis Legati, qui in libro suo, quem
 edidit de conquesto Terræ sanctæ, sic scribit: Est autem sæpè no-
 minata & sæpius nominanda ciuitas Ierusalem, quæ secundum
 omnes eius partes in monte sublimi posita, muro valido vndique
 cincta, nec nimia paruitate angusta, nec magnitudine cuiquam
 fastidiosa. A muro namque ad murum tantam habet distanti-
 am, quantum arcus quater iactus metiri posset. Præterea à parte
 occidentali munitionem habet ex lapidibus quadris, ferro &
 plumbo compaginis, quæ ex vno latere pro muro est ciuitati,
 & turris Dauid apellatur, ipsa tamen est, quæ à quibusdam An-
 toniana dicitur. Montem autem Sion habet ab Austro, super
 quem Dauid rex habitationem sibi construxerat. Et in eo cum

Mons Cal-
 uariæ.

Locus Ia-
 cobi de Vi-
 triaco.

K

multis

multis regibus Iuda sepultus quiescit, & illam ciuitatem Dauid appellauit. Mons Caluarie, in quo Dominus crucifixus est, erat à parte occidentis extra murum ciuitatis, sed Aelius Adrianus ciuitatem ipsam, per Titum & Vespasianum omnino destructa, reparauit, & in tantum ampliavit, quod locum crucifixionis & sepulture Dominice intra murorum ambitum conclusit, omni eius situ manente, sicut prius. Huc vsq; verba Domini Iacobi de Vitriaco Patriarche.

DE PORTARVM IERUSALEM. §. 45.

Circa numerum portarum Ierusalem, scias deuotissime Lector, in antiqua ciuitate fuisse tantum octo, & post reparationem similiter octo, varijs quidem nominibus denominatas. *Hierosolyma* Prima igitur erat porta Dauid, in latere montis Sion, illo in loco, *me porte* vbi duæ voragines à se inuicem separabantur, quarum vna contra Aquilonem, alia extendebat se contra Orientem, eratq; ibi testudo facta vltra voraginem contra portam, per quam patebat exitus extra ciuitatem. Ad dexteram huius testudinis Iudas in vno Sycomorum laqueo se suspendit. Nehemias cap. 3. appellat eam portam piscium. Nam per eam erat via in Ioppen, & Diospolum & maritima, vnde deferebantur pisces in Ierusalem. Dicta fuit etiam negociatorum porta, eo quod per eam erat transitus in Bethlehem, in Hebron, in Gazam, in Ægyptum, in Æthiopiam. Verum transitus ille secabatur supra agrum fullonis in monte Gehon, & à sinistris erat iter in Hebron, à dextris autem in Ioppen. Sed iterum modico interuallo hic, qui versus Ioppen, transitus diuidebatur, & à sinistris ducebat in vallem Raphaim sub castro Bethlura versus Philistim, & Gazam, & Ægyptum, & Æthiopiam, vnde negociatores varias & preciosas merces afferebant: à dextris autem ducebat in Emaus, & Ramatha, & Ioppen contra occidentem ad mare, vnde conducebantur pisces, ut dictum est. Dicta fuit & porta Dauid, eo quod turris Dauid, & eiusdem ciuitas beata, in monte superemineret.

Secunda porta fuit in eadem muri parte, respiciens similiter occidentem, sed à prima distabat contra Aquilonem. Itaq; fuit, ut legimus Nehemie cap. 3. porta vetus. Nam ibidem etiam fuit

iam fuit Iebusaorum tempore, qui Ierusalem dominati sunt ante egressum Israel de Ægypto. Dicta est & porta iudiciorum, nam ante eam iudicium agitatum erat, & quæ iam iudicata fuissent per sententiam, extra hanc portam executioni demandabantur. Extra hanc Reparator mundi crucifixus. Nam lithostratos, locus iudicij, erat intra muros ciuitatis iuxta hanc portam, cuius vestigia adhuc apparent in muro antiquo. In nouo autem, qui Domini sepulchrum includit, correspondet ei porta, eodem nomine nuncupata, quæ tenditur in Silo, & Bethoron, & Gabaon, & ad montem, vbi diuino miraculo Leo quidam Leo. triginta millia martyrum sepeliuit, quos impius Coldsroes Persarum rex, martyrio consumpsit, ut legimus in Ecclesiastica historia.

Tertia porta contra Aquilonem dicta est porta Ephraim, nam per eam ad montem Ephraim patebat iter. Hanc Nehemias in eodem cap. appellat equorum portam. In ea copulatur paries nouus cum antiquo, qui ideo constructus est ut Domini sepulchrum intra urbem concluderetur. Appellatur nunc sancti Stephani porta, nam extra eam lapidatus est ipse protomartyr. Hac patet iter versus Sichem, Samariam & Galileam.

Quarta porta contra Orientem in angulo ciuitatis super torrentem Cedron, dicta est porta anguli, eo quod in ciuitatis angulo constructa fuerat, de qua legimus in quarto Regum cap. 14. quod Ioas interrupit murum Ierusalem à porta Ephraim vsque ad portam anguli quadringentis cubitis. Dicta fuit & porta Benjamin: nam per eam patebat iter in Anathot, & in desertum, & ad alias vrbes tribus Benjamin. Ex deserto Benjamin per hanc portam Cameli vehabant ligna pinea in Ierusalem.

Quinta porta, sita contra Austrum, dicta est porta Sterquilini, sita & ipsa super torrentem Cedron, & Neemias cap. 3. denominat eam conformiter. Dicta est autem Sterquilini, quoniam versus eam ut demissiore decurrebant omnes sordes Ierusalem in torrentem Cedron. Per hanc similiter patebat iter in desertum Benjamin. Non erat autem multum populosa, loca enim contra eam posita, erant vilis & barbaræ habitationis.

Sexta porta fuit similiter contra Austrum super torrentem Cedron, dicta porta gregis etiam apud Nehemiam in eod. cap. Nam

Phasaëlus
turris.

per eam inducebantur animalia, in templo immolanda, quæ prius lauabantur in piscina probatica, propinqua huic portæ. Dicta fuit & porta vallis, nam per illam patebat iter in vallem Iosaphat. Ab hac porta distabat sepulchrum beatæ virginis, quantum iactus est lapidis. Eidem portæ imminet turris Phasel, ab Herode rege constructa. Dicta fuit & porta fontis, dicti Draconis, apud Nehemiam, ante hanc portam scaturientis. De hoc fonte loquimur in descriptione sepulchri Beatæ virginis. Per hanc patebat iter in montem Oliueti, Bethaniam & ad Iordanem.

Septima porta iterum contra Austrum, similiter super torrentem Cedron, dicta fuit porta aurea sita in atrio templi, propter quod scias magis appellandam portam templi, quam ciuitatis. Per eam siquidem patebat iter compendiosè ad montem Oliueti, ultra vallem Iosaphat per testudinem quandam. Et quoniam potius fuit templi quam ciuitatis, ideo Nehemias de ea mentionem non fecit. Intra hanc fuit templi porta, dicta speciosa, in qua iacebat languens, sanatus à Petro, vt legimus in actibus Apostolorum cap. 3. Ex hac septima porta erat transitus in Bethaniam, & Iericho, & Iordanem.

Octaua porta fuit similiter à parte Australi superiori super torrentem Cedron, sita in valle inter montem Sion ac montem templi, dicta; fuit porta fontis Siloë, siue porta aquarum. Ducebat enim ad fontem Siloë, & vallem Gehennon, & Akeldama, & ad hortum regis. Nehemias autem cap. 3. appellat eam simpliciter portam fontis. Non credo plures portas fuisse in Ierusalem. Situs enim eius plures non requirebat: nam per totum montis Sion circuitum, etsi erat porta opportuna, dispositio tamen loci impediēbat. Mons enim vndiq; præruptus erat.

D. MONTIVM IN CIRCVITV IERUSALEM. §. 46.

Mons oliueti.

Teste Psalmo, Montes in circuitu eius, quorum nomina & dispositionem & numerum intendimus exponere. A parte vrbis orientali adiacet oliuarum mons altior cæteris, qui circumdant eā. In cuius summitate erecta est Ecclesia in eo loco, ex quo Saluator post 40. dies coelum gloriosus ascendit. In huius ecclesie

sua medio rotunda est apertura, vt omnibus etiam pateat in aëre, qua parte Dominus alta petiit. Lapis ille, super quem pedes eius steterunt, cum ascendere disposuit, vestigia pedum impressa veluti sigillata cera retinuit. Locatus deinde fuit pro altari, sed nunc altare destructum est, & Ecclesia sacra (heu Deus meus, Deus patiens) versa est in Mahumeteam. Lapis ille sacer positus est in obstructione hostij orientalis sine cemento, & licet oculis non pateant diuina illa vestigia, manu tamen immissa tangi & discerni optimè possunt. In latere eiusdem Ecclesie adhæret cappella versus Austrum, in qua Pelagia, quondam famosa meretrix post gratam Deo conuersionem, diuinamque pænitentiam, moriens sepulta iacet. Dicitur nullum, qui detinentur peccato mortali, posse transire inter parietem & eius sepulchrum eleuatum. Huius veritatem nescio, plures tamen transierunt, & ego vidi. In eodem monte contra Austrum à prædicta Ecclesia quantus est iactus lapidis, alia est, dicta panis domus, vbi Saluator discipulos orare docuit, orationemq; Dominicam in lapide scripsit. Contra Austrum situatur offensionis mons humilior quidem monte oliueti, & valle intermedia separantur. Appellatus est offensionis mons eo, quod Salomon, vt legimus in tertio Regum capit. 11. idolum Moloch dicauerit è regione sacri templi, Deum excelsum ad iracundiam prouocans. Inter Orientem verò & Austrum situs est ager Akeldama, & mons desuper admodum sublimis eodem nomine nuncupatus, tenetq; ferè totam Austri partem contra urbem. Huic ab Occidente adiacet fullonis ager, & mons desuper eiusdem altitudinis vt prior. Agro fullonis adhaeret mons Gihon à parte occidentali ciuitatis, sic tamen disponuntur, quod via ex porta David, siue negociatorum, mediat inter eos. Mons Gihon ab occidente supereminet ciuitati, verum paulatim defecit, adeò quod contra portam veterem siue iudiciariam sit valde depressus. Terra tamen tumorosa est vterius procedendo contra Occidentem & Aquilonem vsq; ad sepulchrum deuotissimæ Helenæ reginæ, quod contra portam Benjamin super torrentem Cedron locatum est. Ultra torrentem Cedron, in latere aquilonari est alius mons admodum altus, quatuor stadijs distans ab vrbe, vbi Salomon Chamos, idolo Moabitarum, templum construxit, vt legimus in 3. Regum cap. 11. Tempore Machabeorum

S. Pelagia.

Mons offensionis.

Akeldama.

Gihon.

Monumentum Helenæ reginæ.

chabeorum hoc in loco ædificatū fuit castrum, cuius vestigia permanent, unde habitantes Ierusalem multipliciter infestari fuere. Omnes præscripti montes propinqui fuere moenibus ciuitatis, non tamen adeo propinqui, ut ex eis posset ciuitas aliquo instrumento vel ingenio impugnari. Hæc de urbis situ & ambitu & portis & montibus sufficiant.

D. SACRORVM LOCORVM IN IERUSALEM & extra §. 47.

Sacra loca descripturus, incipiam ab extra, ut liceat longius immorari in locis Dominicæ sepulturæ. In valle Iosaphat non quidem in ima profunditate, verum in pede montis Oliueti, parum tamen supra ipsam vallem, locatum fuit beatissimæ & Christiferae virginis sepulchrum, quod quidem ante subuersionem Ierusalem per Romanos, supra terram eminens erat, nunc autem terra coopertum est, adeo quod ecclesia ibidem in honorem virginis constructa, cum sit sublimium parietum, nobilissimeq; testudinata, sicut decens est tantam virginem honorare, nunc sit tota subterranea, & repletionibus ruinarum templi & atriorum, de quibus supra diximus, omnino sit cooperta, vallidq; Iosaphat ibidem adeo repleta fuit, quod extrat via publica transiens super prædictam Ecclesiam, iam sub terra absconditam. Est tamen ibidem in terræ superficie post urbis reparationem constructa Ecclesia vel ædificium per modum capellæ: quod cum ingressus fueris descendes per gradus plurimos sub terra in Ecclesiam præscriptam, & ad sepulchrum beatissimæ virginis, & credo, nifallor, sunt gradus 60. Est autem sepulchrum in medio chori ante altare marmoreum, & magnifice decoratum, quod & Saraceni deuotissime venerantur osculantes prostrati, & sacrae virginis suffragia alta voce suo more implorantes. Ego fui in sepulchro ipso, visumq; est mihi hortus aromatum ex fragrantia tantæ virginitatis, & nesciens præ spiritu & admiratione, quid dicerem, decantare cepi. Sicut Cinamomum & Balsamum aromatizans odorem dedi, lachrymæq; omnium astantium comitum meorum vberim effluebant, ac benè nobis erat cum eis, Nolo au-

tem

tem te ignorare studiose Lector, Ecclesiam, quæ iam subterranea effecta est, valde humilem esse, eò quod torrens Cedron repletio-nibus prædictis coopertus, sub ipsa decurrit, & ex inundantia aquarum excrescit aliquando, ut scaturiens in tantum erumpat, quod Ecclesiam replet aquis, & ascendens per omnes gradus per ostium capellæ superioris extra fluit. In cœmeterio eiusdem non longe ab eius ostio indigenæ hauriunt aquam ex fonte, qui apud Nehemiam Draconis fons appellatur, ante portam gregis, siue vallis. Beatissimæ virginis Ecclesia intus illuminatur ex fenestris orientalibus dispositis contra montem Oliueti. Non longe ab ostio capellæ superioris, qua est via per gradus subterraneos ad Ecclesiam beatissimæ Mariæ, dimensis passibus quinquaginta contra Orientem, ut ego ipse demensus sum, est alterius Ecclesiæ ostium dictæ Gethsemani, ubi erat hortus, quem ingressus est Saluator cum discipulis, patrem oraturus, ut si possibile esset, calix passionis transiret. Locus hic est in latere montis Oliueti adhærens cuidam rupi concavae de monte pendenti, sub qua discipuli sederunt, cum dixit eis Dominus: Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Ostenditur & adhuc locus sessionis eorum. Ostenditur & locus, in quo tentus fuit à turbis, Iuda eum osculo tradente. Videntur lineamenta verticis & capillorum eius in rupe descendente. Apparet in alio lapide impressio digitorum eius, quam creditur fecisse rupem apprehendendo, cum traheretur à turbis. Et velim scias, quod de lapide illo nec modicum quidem abradi potest, cum tamen maximè laborauerim etiam ferreis instrumentis, ut inde mecum aliquid deportarem. Impressiones autem prædictæ ita claræ in eo videntur, ac si in cera figuratæ fuissent. Ex Gethsemani quantum est iactus lapidis contra Austrum locus est, ubi auulsus à discipulis prolixius orabat, & factus est sudor eius, ut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Illic & similis lapis est, retinens impressas genuum & manuum eius figuras, à quo nec modicum quid abradi potest. Inter locum hunc & Gethsemani ante Ecclesiam Beatissimæ virginis transit via, qua patet ad montem Oliueti ascensus, inde in Dothaim & Iordanem. Ex hoc loco orationis Domini ad iactum lapidis contra Austrum in pede montis Oliueti in valle Iosaphat, in op-

Item Mariae virginis.

cuīdam rupi concauē de monte pendenti, sub qua discipuli sedē-
runt, cū dixit eis Dominus: Sedete hic, donec vadā illuc, &
orem. Ostenditur & adhuc locus sēssionis eorum. Osten-
ditur & locus, in quo tentus fuit à turbis, Iuda eum osculo tra-
dente. Videntur lineamenta verticis & capillorum eius in
rupe descendente. Apparet in alio lapide impressio digitorum
eius, quam creditur fecisse rupem apprehendendo, cum trahere-
tur à turbis. Et velim scias, quod de lapide illo nec modicum qui-
dem abradi potest, cū tamen maxime laborauerim etiam
ferreis instrumentis, & inde mecum aliquid deportarem. Im-
pressiones autem prædictæ ita clare in eo videntur, ac si in cera
figuratæ fuissent. Ex Gethsemani quantum est iactus lapidis
contra Austrum locus est, vbi auulsus à discipulis prolixius ora-
bat, & factus est sudor eius, vt guttæ sanguinis decurrentis in ter-
ram. Illic & similis lapis est, retinens impressas genuum & ma-
nuum eius figuras, à quo nec modicum quid abradi potest. Inter
locum hunc & Gethsemani ante ecclesiam Beatissimæ Virginis
transit via, qua patet ad montem Oliueti ascensus, inde in Do-
thaim & Iordanem. Ex hoc loco Orationis Domini ad iactum
lapidis contra Austrum in pede montis Oliueti in valle Iosa-
phat, in oppositum templi, ostenditur sepulchrum Iosaphat, re-

2^o g^o m. Boi.

*Monumen-
tum Iosa-
phati regis.*

*Templum
sepulchri
Christi.*

In ciuitate sancta Ierusalem, tot existunt sacra loca, quod
dies non sufficit, vt omnia visitentur, inter quæ sanctissimi sepul-
chri Ecclesia principatum retinet. Est figuræ circularis, intus ha-
bens columnas 73. quarum quælibet præter bases est longitudi-
nis 30. pedum. Supra Domini sepulchrū, existens in Ecclesiæ me-
dio, est apertura Sphærica, sic quod tota sepulchri crypta est sub
dio. Golgathana ecclesia huic adhæret, & est oblonga, choro san-
cti sepulchri contigua, parum tamen demissior, suntq; ambæ sub
eodem tecto. Spelunca, in qua Domini sepulchrum continetur,
est longitudinis 7. pedum, exterius vndique tecta marmore. Ru-
pes quidem est nuda, sicut passionis tempore. Ostium, quo in
hanc speluncam patet ingressus, ab oriente situm est, demissum
valde & paruum. Tumba verò sancti sepulchri est ad dextram
ingredientis iuxta parietem ad septentrionem ex marmore
grisei coloris, alta à superficie pauimenti palmis 8. longa autem
pedi-

pedibus 7. & sicut crypta siue spelunca ex omni parte clausa est
nec lumen recipit ab extrinseco, sed continuæ pendent nouem
accensæ lampades, lumē ministrantes. Est autem altera spelun-
ca sita ante speluncam sanctissimi Sepulchri eiusdem longitudi-
nis & latitudinis ac dispositionis intus & extra, & antequam quis
ingrediatur, apparent vt vna. Primò ergò intratur in anterio-
rem deinde in aliam, in qua iacuit Saluatoris nostri felicissimum
corpus. In anteriorem ingressæ sunt mulieres, cū dixerunt:
Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti. Lapis enim
aduolutus fuerat ostio interioris speluncæ, cuius vna pars trans-
lata est in montem Sion, vt superponeretur altari, quam quidem
partem & ego ibidem vidi. Caluarie mons, super quem Domi-
nus cruci affixus est, distat à loco sancti Sepulchri pedibus 109.
ascenditurque ad locum, vbi crux infixa est rupi, per 29: pe-
des à superficie pauimenti Ecclesiæ. Scissio rupis vel foramen,
in quo crux firmata fuit, tantæ altitudinis est vt caput hominis
recipiat. Nam & ego caput meum demisi. Descenditq; profundi-
tas eius à loco superficiali fixationis vsq; ad pauimentum Ecclesiæ
inferius, per 28. pedes. Color sanguinis Saluatoris benedicti ap-
paret in ipsa scissione rupis. A latere manus sinistræ Domini
pendentis in cruce ædificatum est altare decorum valde, & mar-
moreum. Ego super ipsum bis celebraui de passione, legens pas-
sionem secundum Iohannem. Pauimentum capellæ, in qua con-
structum est ipsum altare, stratum est marmore, & parietes mar-
more tecti, opere Musaico decorati ex auro purissimo. Ex Calua-
ria 10. pedibus contra Orientem est altare, sub quo recondita est
pars illius columnæ, ad quam Dominus flagella sustinuit. Fuit
autem ex domo Pilati translata, ac ibi reposita, vt à fidelibus pos-
set videri, tangi, venerari & deosculari. Extat autem ex lapide
subnigro, quibusdam maculis rubeis naturalibus resperso, quas
tradit vulgus, guttas esse sanguinis Christi cruentati, dum flagel-
laretur. Pars alia eiusdem columnæ translata fuit Constanti-
nopolin. Ex altari sacre columnæ contra Orientem descendi-
tur per gradus 48. ad locum, vbi deuotissima Helena, Constanti-
ni mater, viuificam crucem reperit. Locus iste longè sub terra est,
in quo capella & duo altaria constructa sunt, vnum quidem dica-
tum salutiferæ cruci, alterum puratur dicatum cruci conuersi la-
tronis.

Miraculū.

*Mons Cal-
uarie.*

*Helena
Aug.*

latronis. Locus autem, in quo ab inuidis & cæcis Iudæis crucis absconditæ fuerunt, considerata antiquæ vrbs dispositione, videtur mihi fuisse ciuitatis fossa extra parietes porta iudiciariæ, quæ quidem fossa propinqua erat Caluarie loco. Nam & apud Iohannem legimus, quod prope ciuitatem passus est Dominus, existimandumque est, quod Iudæi depositis corporibus, in contemptum proiecerunt, cruce omnes in fossam, & deluper ciuitatis sordes proijci curauerunt, vt marcescerent. Deuotissima verò regina Helena locum mundari iussit, & inuenta sacratissima cruce, in imo ac profundo illius fossæ capellam & altaria erexit. Est enim nunc locus ille, vt supra descripsimus, inter mœnia conclusus. Locus in quo stetit Beatissima virgo, ex doloribus transfixa, cum alijs mulieribus iuxta crucem, non fuit sub crucis brachio ad Aquilonem, vt quidam volunt, & prædicant, sed ante faciem filij ferè ad Occidentem. Ostenditur enim hodie locus positionis suæ ante faciem filij, in cruce pendentis, sub monte & rupe, in qua crux defixa fuerat, & à fidelibus deuotissimæ veneratur, quæ pluries vidi & colui. Sciasque studiose Lector, Saluatorem nostrum in cruce pendentem faciem vertisse ad Occidentem, non ad Orientem, vt quidam sibi persuadent, & prædicant, quod quidem ex eo patet, quod vorago illa grandis, de qua actum est supra, & quæ fuit vrbi pro fossa, à parte Occidentali existeret retrò crucem, in qua & proiecta fuit, stetitque abscondita sub sordibus, donec ab Helena fuit inuenta. Altaria multa extant, in Ecclesia sepulchri, decenter composita & ornata. Ante eiusdem Ecclesiæ occidentale ostium foris est locus, vbi Egyptiaca Maria meretrix diuinitus prohibita est ingredi sacram Ecclesiam, & illic orans ante beatissimæ virginis imaginem, meruit consolationem per responsum. Dum procedimus contra turrim David, & montem Sion, locus est, vbi ab Herode Agrippa Iacobus Apostolus interemptus est. Deinde procedentes vltra in montem Sion, inuenimus Caiphæ domum, in qua mitissimus Saluator illusus & derisus fuerat, & locum, in quo vsque manè recluserunt eum, qui & carcer Domini appellatur. Inde quantum iactus est lapidis contra Austrum est locus, vbi Beatissima virgo vsque in finem suæ vitæ permansit, & illic migravit. Huic loco in propinquam est cænaculum grande, in quo Dominus Pascha cum discipulis celebrauit

Mariae
Egyptica.

Domus
Caiphæ.

brauit, pedes abluir, & Eucharistiam sanctissimam instituit. Post resurrectionem discipulis illic congregatis pluries apparuit, Mathias sorte electus est, Spiritus sanctus datus est, multaque diuina & admiranda illic perfecta fuere. Huic loco ferè ad Aquilonem adherent sepulchra Regum Iuda, vt David, Salomonis & aliorum partim in Ecclesia montis Sion constituta, partim extra. Hæc de locis sanctæ Ierusalem dixerim. Et velim scias care Lector, urbem sanctam in loco adeò eminenti conditam fuisse, vt ex ea videatur Arabia & mons Arabum, & Nebo & Phasga montes, & Iordanis planities & Ierichò, & mortuum mare vsque ad Petram deserti. Nec ciuitatem aut locum vidi, qui pulchriorem habeat prospectum. Ad ipsam ex omni parte ascenditur, eò quod sita est in loco eminentiori, qui sit in regione illa, præterquam Silo, distans ab Ierusalem duabus leucis, vt statim describemus.

DESCRIPTIO SILO. §. 48.

Ab Ierusalem duabus leucis contra angulum, constitutum inter Occidentem & Septentrionem, est mons Silo, nunc quidem sanctus Samuel. Sublimior est omnibus, quoad situm, qui sint in regione sacræ Ierusalem. Distat à Gabaa Saulis intervallo vnus leucæ & plus, tantundem distat à Rama Benjamin. In Silo populus Israel acquisita terra promissionis, reposuit arcam Domini, propterea fuit Silo vt Domus Dei, donec arca fuit illic. Vnde legimus in libro Iudicum cap. 20. quod Israel filij venerunt in Domum Dei, hoc est in Silo.

DESCRIPTIO GABAON §. 49.

Monte Silo per leucam vnā distat Gabaon, vrbs in tribu Benjamin, in eodem tamen monte sita. Nam in Silo monte fuit vrbs denominata Silo, ab ipso monte, in qua seruabatur arca Domini. Ab hac vrbe distat per leucam Gabaon, sita in eodem monte. Habitantes Gabaon, vt legimus in libro Iosue cap. 9. audientes cuncta, quæ fecerat Iosua, perrexerunt ad eum, dum habitaret in castris in Galgala, pacē cum Israel habere cupientes.

Arca Domini.

DESCRIPTIO EMAVS. §. 50.

AB Ierusalem 4. leucis contra occidentem distat castellum Emahus, ubi Dominus, postquam à mortuis surrexit, à discipulis cognitus est in fractione panis, ut legimus Marci cap. 16. Hodie quidem Nicopolis denominatur.

DESCRIPTIO BETHORON. §. 51.

AB Ierusalem duabus leucis contra Occidentem sub monte Silo est Bethoron inferior, de quo fit mentio in libro Iosue & primo Machabæorum. Scire te velim, studiose Lector, duas fuisse Bethoron, superiorem & inferiorem, quas primò ædificauit Sara, filia Ephraim. Sic enim legimus in lib. 1. Paralipom. cap. 7. Filia eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron superiorem & inferiorem. Deinde Rex Salomon extruxit, id est munivit, & fortiores reddidit. Sic enim legimus 2. lib. Paralip. cap. 8. Extruxit Salomon Bethoron superiorem & inferiorem, ciuitates munitas habentes portas, vestes & feras. Sunt autem in tribu Benjamin.

DESCRIPTIO CARIATHIARIM. §. 52.

AB Ierusalem quatuor leucis & dimidia contra Occidentem, via qua tenditur Diospolin, siue Lyddam, est Cariathiarim, vna ex urbibus Gabaonitarum, in qua per 30. annos quieuit arca Domini, postquam reducta fuit de terra Philistiim. Vnde sic scribitur in primo Regum cap. 7. Venerunt viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam DOMINI, intuleruntque eam in domum Aminadab.

DESCRIPTIO LACHIS, VNDE AVTEM Velenas. §. 53.

EX Cariathiarim duabus leucis contra Occidentem ferè distat Lachis, vna de urbibus Gabaonitarum, quam expugnauit Iosua, ut patet in eiusdem lib. cap. 10. Sannacherib autem eam obsedit.

obsedit tempore Ezechiae, ex 4. Regum. Nunc quidem Velenas dicitur, & quoniam filij Dan acceperunt eam, vocata est ab eis Dan. Et hæc est, de qua sæpè legimus in libris Regum: Congregatus est omnis populus Israel à Dan vsque Bersabee.

DESCRIPTIO BETHSAMES Iudæ. §. 54.

EX Chariathiarim duabus leucis contra Austrum ferè est oppidum Bethsames, quod ad differentiam alterius Bethsames in tribu Neptalim, dictum est Bethsames Iudæ. Attamen in rei veritate fuerat de tribu Dan, quæ circa finem sortis Iudæ est iuxta mare. Ab hac tamen Bethsames Iudas in Saraa & Estael, vsque ad terminum Ioppe ferè sortem accepit. In agrum Bethsames Iudæ duæ vaccæ iuenculæ, & inassuetæ iugo, deduxerunt arcam Domini ex Accaron Philistiim, ut legimus in 1. Regum cap. 6. Et quoniam Bethsames viderunt arcam Domini nudam dum meterent triticum in valle, mortui sunt ex eis multa millia.

DESCRIPTIO RAMATHÆ SOPHIM. §. 55.

AB Ierusalem decem leucis contra Occidentem est Ramatha Sophim, quæ partim de tribu Benjamin, partim de tribu Ephraim fuit, sita tamen in monte Ephraim. Samuel Propheta fuit in ea oriundus, ibique sepultus. Sic enim scribitur in primo Regum cap. 25. Mortuus est Samuel, & congregatus est omnis Israel, & planxerunt eum nimis, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha Sophim. Dicta fuit & Arimathia, ex qua fuit sanctus ille Ioseph, nobilis decurio, qui corpus nostri Saluatoris aromatibus condidit, & pietissimè sepeliuit. Nunc verò Ramula nuncupatur. Ex Ramatha Sophim, siue Ramula, contra Occidentem tribus leucis est Ioppe ciuitas, ad quam descendit Ionas Propheta, cum fugeret à facie Domini. Sic enim legitur in Iona cap. 1. Et surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit Ioppen. Hæc est vulgarissima ciuitas in libris Machabæorum, & Apostolorum Actibus. In ea ostenditur Petri Apostoli hospitium, constructa Ecclesia sub rupibus iuxta mare.

Samuel uates.

Iosephus decurio.

Ioppe.

& scopuli illi ad quos vani Poëtae fabulantur Antrothedam, Cephæi filiam, alligatam fuisse, & à Perseo liberatam.

DESCRIPTIO BETHLEHEM.

§. 56.

David.

AB Ierusalem duabus leucis contra Austrum sita est Bethlehem benedicta, vnde David Rex traxit originem, ex 1. Regum cap. 16. In ea natus est mundi Saluator, Matthæi cap. 2. In ea sepulta fuit Rachel, cum Jacob reuerteretur ex Mesopotamia, Genesis ca. trigesimo quinto. Super cuius sepulchrum Jacob construxit Pyramidem pulchram nimis in typum monumenti Rachelis. In cuius basi duodecim disposuit lapides grandes iuxta numerum filiorum Jacob. Scias tamen, sepulchrum illud non esse in ciuitate Bethlehem, sed foris iuxta viam, quæ ducit Hebron, ad dextram ad iactum vnitus arcus extra Bethlehem. Apud sepulchrum Rachelis colliguntur lapilli quidam omnino habentes figuram cicerû, quos peregrini colligere confueuerunt propter quoddam Domini miraculû, quod quia autoritate caret pertransito. Nihil enim incerti, vt proposui, est à me scribendum. Contra Orientem ciuitatis est turris Ader, vbi creditur Jacob post charæ Rachelis mortem aliquo tempore permanisse. Turris hæc in sacra Genesi dicitur Turris gregis. Sic enim legimus cap. 36. Egredus inde Jacob, fixit tabernaculum trans turrîm gregis. Ibidem Pastores hora ortus felicissimi Saluatoris audierunt vocem Angelî: Euangelizo vobis gaudium magnum, &c. Gloria in excelsis Deo, &c. Quod quidem non nisi diuina sapientia & dispositione actum est, vt in illo loco natus Dei filius annuncietur pastoribus, in quo sanctus ille pastor Jacob commemoratus fuerat, à quo descenderat stella ex Jacob, quæ suum & nostrum peperit Reparatorem. Bethlehem sita est in monte, non tamen excelsio. Mons tamen arctus est, extendens se longitudine ab Oriente in Occidentem. Ab Occidente patet ingressus. Iuxta portam adhuc permanent cisterna illa, cuius aquam affecit David, cum esset in præsidio, vt legimus in 2. Regum cap. 23. In fine Orientali eiusdem vrbs sub rupe quadam existente tunc temporis iuxta parietem vrbs, videtur secundum illarum regionum morem fuisse

fuisse locus pro stabulo, habens præsepe excisum in rupe, vt moris est illic disponere præsepia. Ibi ortus est huic mundo de virgine Sol iusticiæ, Iesus Christus, declarans sua natiuitate sordes & tenebras huius seculi se ablaturum, eò quod in tam despecti loci sordibus nasci non abhorruit. Iuxta rupem prædictam alia est capatior quatuor tantum pedibus distans, sub qua excavatum præsepe fuerat, in quo dulcissimum illum puerum mox vt natum panniculis inuolutum, inrer asinum & bouem mater virgo reclinauit: alia namq; via sibi non occurrebat, quo tenellum infantem fouere posset. Videtur tamen mihi vtramq; rupem vnâ fuisse, sed ostiò facto diuisa est, per quod in chorum ex capella, in quo est natiuitatis locus ascen ditur. Nam ad locum illum benedictum non peruenitur, nisi descensu 10. graduum. Est autem natiuitatis locus ornatissimus, ex musaico & marmore stratus precioso nimis. Super locum, in quo cœlestis virgo peperit, celebrari potest super mensam marmoream, ibi optime deposita m. Pars lapidis, super quem Saluator natus est, & præsepis pars, in quo reclinatus fuit, non sunt vestitæ marmoreæ, sed nudæ relictæ, vt à fidelibus deuotius venerari & osculari possint. Ego duabus noctibus illic permansi custodiens vigilias noctis, nunc hunc locum, nunc illum osculando, vilescebatq; mihi mundus iste cum omni superbia sua, contemplans mansuetissimum & humillimum Dei filium, quomodo, vbi & ex qua nasci elegit. Væ huius seculi amatoribus. Non vidi, nec audiui dicentem, se visitasse Ecclesiam purchriorem deuotio remq;. Quis non teneritudine emollitur, cogitans secum purissimæ virginis, dulcissimi pueri & altissimi, ergo nos indicibilem charitatem. In Ecclesia sunt marmoreæ columnæ preciosissimæ admirabiles multitudine & magnitudine, per quatuor ordines dispositæ. Ecclesiæ nouis à capitibus columnarum vsq; ad summum tectum ornata est opere musaico pulcherrimo, continente omnes historias à principio mundi vsque ad Dominicum ortum ex virgine. Totum pauimentum stratum est marmore varij coloris, & decorum est mira varietate, cuius precium multorum iudicio æstimari non potest. Incredibilia penè possent de hac sacra Ecclesia describi, quam Sarraceni omnes maxima deuotione

ne ve-

ne venerantur. Vidi ego in Ecclesia illa miraculum cunctis seculis memorandum. Soldanus vidit huius Ecclesie ornatum, *Miraculum* tabulasq; & columnas preciosissimas. Præcepit omnia deduci in Babyloniam, statuens ex eis palatium suum construere, & ornare. Mirum quiddam accidit. Nam astante Soldano cum curia sua, accesserunt artifices cum instrumentis & ex integro pariete, quem nec acus potuisset penetrare, miræ magnitudinis serpens exiuit, & primam tabulam marmoream sibi occurrentem momordit, & continuò crepuit, secundam momordit, & crepuit, & sic successiue vsque ad quadragesimam omnes crepuerunt per transversum, cunctis stupentibus, & timore solutis: Soldanoque propositum reuocante, serpens disparuit. Relicta igitur fuit Ecclesia, & est hodie sicut prius. Serpentis vestigia apparent vsque hodie in singulis quadraginta tabulis, & est quasi combustio ex igne facta. Super omnia autem mirabile fuit, serpentem potuisse per transversum procedere vel serpere, qui planus & politus, ut vitrum apparet. In exitu huius Ecclesie contra Aquilonem est ambitus claustrum Monachorum, descenditur tamen in illud quibusdam gradibus. In hoc claustro est beati Hieronymi cella, & lectus & sepulchrum, & monasterij officina, in quo legitur idem sanctus præfuisse. In parte Australi ipsius chori ostenditur locus, ubi magna innocentium pars ab Herode dicitur interfecta. Ab Ecclesia nati Saluatoris, quantum est lapidis iactus ferè, contra Orientem est Ecclesia sanctorum Paulæ & Eustochij, eiusdem filiarum, ubi sunt earundem monumenta. Hæc de benedicta & venerabili Bethlehem dicta fuerint.

DESCRIPTIO BEZEC. §. 57.

Raphaim. **E**x Bethlehem ad dimidiam leucam contra occidentem est villa, nomine Bezec, ubi Saul creatus Rex congregavit Israel contra Naas Ammoniten. Sic enim legimus in 1. Regum cap. 11. Inuasit timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus, & recensuit eos Saul in Bezec. Villa hæc abundat optimo vino, nec in regione illa melius inuenitur. Incolæ omnes sunt Christiani, & etiam villarum adiacentium in descensu vallis Raphaim vsque ad torrentem botri, in omnibusque locis illis vinum ex-

num excellit in bonitate. Christiani vineam colunt, habentq; priuilegium à Soldano illic permanenti, cui & magnum censum reddunt.

DESCRIPTIO COLLIS ACHILE §. 58.

Ex Bethlehem sex leucis contra Orientem supra mare mortuum est mons Engaddi, de quo actum est supra. Ex Engaddi tribus leucis contra Austrum est collis Achile, in quo latuit Dauid, persequente eum Saul. Sic enim legimus in 1. Regum cap. 26. Et venerunt Zephei ad Saul in Gabaa dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Achile, quæ est ex aduerso solitudinis. Collis Achile ab Herode appellatus est Massada, in quo inexpugnabile castrum construxerat.

DESCRIPTIO THEVCUE. §. 59.

Amos uates. **E**x Bethlehem duabus leucis contra collem Achile est Theucua, in monte sita, in qua natus est & sepultus Amos Prophetæ. De quo sic legimus in argumento super Amos: Fuit cognatio Amos ex oppido Theucua, quæ Ozias veste per tempora transfixit. Posthac semiuivus relictus, in terram suam reuectus est, & post aliquot dies expiravit dolore vulneris, sepultusq; est cum patribus suis. Oppido Theucue adiacet desertum Theucue.

DESCRIPTIO VALLIS BENEDICTIONIS. §. 60.

Iosaphat. **I**nter Theucum & Engaddi loco medio est Vallis benedictionis, in qua Iosaphat, rex Iuda, pugnavit contra filios Moab & Ammon, & habitantes montem Seir, & auxilio Domini prostrati sunt, ideoq; vocârunt locum illum vallem benedictionis. Unde sic scribitur in lib. 2. Paralip. cap. 19. Die quarto congregati sunt in valle benedictionis, & quoniam ibi benedixerunt Deum, vocauerunt nomen loci illius, Vallis benedictionis.

M

DE.

DESCRIPTIO ZIPH ET MAON. §. 63.

A Thecua 5. leucis inter Orientem & Austrum est Ziph op-
id um iuxta desertum, quod etiam Ziph appellatur, in quo
legimus 1. Regum cap. 23. David latuisse. Sic enim ibi scribitur:
Morabatur autem in deserto in locis firmissimis, mansitq; in
monte solitudinis Ziph in monte opaco. Deserto Ziph adiacet
desertum Maon ad Austrum, in quo est mons Carmelus, ubi Na-
bal habitabat, qui repulit nuncios David, ut legimus 1. Reg. cap.
24. Cuius vxor fuit Abigail, quam in suam accepit David mor-
tuo Nabal. Deserto Maon inter Austrum & Orientem adiacet
mons ille Seir, quem ut supra descripsimus, iussi sunt filij Israel
longo tempore circumire, ut patet in lib. Deut. c. 2. Eidem Maon
contra Austrum adiacet terra Amalech, quam iussit Dominus
Saul ut euerteret eam, interfectis eius habitatoribus. Vnde sic le-
gimus in 1. Regum cap. 15. Nunc ergo vade, & percutite Amalech,
& demolire vniuersa eius: Non parcas ei & non concupiscas ex
rebus eius aliquid.

Amalech.

DESCRIPTIO CADES BARNE. §. 62.

A Nte terram Amalech contra maris mortui linguam est
Cades barne, ex quo, ut legimus in lib. Numeri cap. 13. mi-
sit Moyses exploratores 12. ad considerandam promissionis ter-
ram. Ibi longo tempore commorati sunt filij Israel egressi de
Ægypto, & inde iussi sunt montem Seir circumire, ac reuerti per
itineraria maris rubri.

DESCRIPTIO BETHACARIS. §. 63.

EX Bethlehem tribus leucis contra Austrum via, quæ ducit
Hebron, est Bethacaris, loco eminenti sita, cui adiacet ad
Austrum villa Rhama, excelsa valde, in cuius colle sublimi stans,
vidi cum multis alijs totam Arabiam usque; ad montem Seir, loca q;
omnia circa mare mortuum, & loca latibulorum David, Iorda-
nem insuper usque; Sethim & usque; ad montem Abarim: Contra
Occidentem verò vidi in loco Hebron, littus totum magni ma-
ris, id

ris, id est mediterranei à Ioppe usque; Gazam, & Bersabee usque; ad
desertum Sur, totam insuper terram Philistim à Ramatha So-
phim per Geth & Accaron & Asculonem, cum omni planicie
sub monte Iuda.

DESCRIPTIO MAMBRE. §. 64.

EX Rama proximè dicta 2. leucis & amplius ad dexteram iu-
sta viam regiam, quæ ducit Hebron, sita est Mambre, ubi
ex lib. Genes. cap. 18. longo tempore habitauit Abraham, post
egressum de Vr Chaldaeorum. Illic sedens ad ilicem Mambre
in ostio tabernaculi, in ipso seruire diei, vidit tres viros & vnum
adorauit, quos & hospitio recepit. Illex Mambre etiam hodie
ostenditur ante ostium tabernaculi Abrahæ. Scias tamen, an-
tiquam illam exsiccata fuisse, sed ex eius radice pullulauit alia,
de cuius ligno & fructu mecum tuli. Folia sua modico maio-
ra quàm lentiscus, sed fructum penitus habet ut quercus.

Illex anno-
sa.

DESCRIPTIO ANTIQVÆ HE-
bron & nouæ, & speluncæ duplicis. §. 65.

A B ilice Mambre per dimidiam leucam ad dextram iuxta
viam est Hebron illa antiqua vrbs, quondam Hebraicè di-
cta Cariatharbe, id est, vrbs Arbe, de qua sic legimus in libro Ge-
nesis cap. 23: Vixit Sara centum viginti septem annis, & mor-
tua est in ciuitate Arbe, quæ est in terra Chanaan. In hac reg-
nauit David super Iudam septem annos. Sic enim scribitur
in secundo Regum cap. 2. Et fuit numerus dierum, quos com-
moratus est Danid imperans in Hebron super domum Iudam,
septem annorum & sex mensium. Est in monte sita sublimi &
sepulta, sed nunc penitus ruit. Cuius ruinæ ad eam magnæ conspi-
ciuntur, quod ex eis arguitur, quàm gloriosa fuerit. Ab Hebron
antiqua ad iactum trium arcuum ad Austrum, pusillum tamen
ad Orientem declinando noua residet Hebron, illic constructa,
ubi duplex spelunca extitit emptæ ab Abraham pro sepultura
charæ vxoris Saræ, ut legimus Genes. cap. 23. In ea sepultus est

M 2

patet

Monumen- pater Abraham & Isaac, & Jacob, & ossa Ioseph, delata ex Ægy-
ta Patriar- pro, & Sara & Rebecca, & Lia, Rachel autem in Bethlehem, vt
charum. diximus supra. Sarraceni contra speluncam duplicem, quæ in
Ecclesia cathedrali continebatur, ædificarunt munitionem.

DESCRIPTIO AGRI DAMA-
masceni, §. 66.

Ad Spelunca duplici, iactu vnus arcus contra Occidentem,
est celebris ager Damascenus, in quo fertur Adam forma-
tus fuisse. Terram habet rubeam, flexibilem & tractabilem, si-
cut cera, de qua mecum tuli, similiter & peregrini, aliq; fideles,
loca sancta venerantes. Sarraceni terram illam deferunt in Ægy-
ptum, Æthiopiam & Indiam, pro re valde preciosa videntes.
Modica tamen apparet effolsio in loco illo: fertur enim quod-
libet anno reuoluto miraculose repleti: fateor autem me imme-
morem effectum, in quærendo huius veritatem. Id tamen asse-
ro, quod modica quidem extabat effolsio, cum illic adessem, ad
eò quod quatuor viri vix in ea sedissent, in profunditate non ex-
cedebat humeros meos. Vulgatur aliud: Si quis terram illam
supra se detulerit, animal perniciosum non lædet eum, nec cadet,
nec immergetur aqua, aut si cadit, non offenditur casu illo. Hæc
non assero, sed vulgata refero. Vallis contra Hebron fertilis est
valde & deliciosa, ac delectabilis habitationis. Ab effolsione agri
Damasceni ad iactum arcus vnus contra Austrum locus est, vbi
Cain fratrem Abel occidit, vt legimus Genesis cap. 4. Ab ea-
dem effolsione iactu duorum arcuum contra Occidentem, est
spelunca quædam sub rupe, in qua famosum est, Adam & Euam
filium Abel interfectum luxisse centum annos. Ostenditur illic
eorum lecti saxei. Est in spelunca fons scaturiens, de quo bibe-
runt. Hæc vt vulgata, sed non à me asserta, describo. Habet in
longitudine & latitudine ferè 30. pedes, sub spelunca ipsa in valle
descendit via, qua ex Hebron tenditur in Gazam contra Au-
strum. Distat autem hæc via ex Hebron, quantum iacere potest
arcus.

D. D A.

D. DABIR, QVÆ ET CARIATH-
sepher. §. 67.

EX Hebron duabus leucis contra Austrum est Dabir, quæ &
Cariathsepher nuncupata est, quam expugnauit Othoniel,
frater iunior * Caleb, cui Caleb copulauit in vxorem filiam suam Caleb.
Axam. Vnde sic legimus in lib. Iosue cap. 15. Caleb conscen-
dens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vacabatur Cariathse-
pher. i. ciuitas literarum, & dixit: Qui percusserit Cariathsepher,
dabo ei vxorem Axam, filiam meam.

D. NEHELESCOL. §. 68.

EX Hebron tribus leucis contra Aquilonem, parum tamen
declinando ad Occidentem, est Nehelescol, id est, torrens
botri, & est locus, vnde exploratores, missi à Moyse, detulerunt
palmitem cum vuis. Vnde sic legimus in libro Numeri cap. 13.
Pergentes vsq; ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum
vua sua, quam portauerunt in veste duo viri. De malis quoque
granatis & ficis loci illius tulerunt, qui appellatus est Nehelescol,
id est torrens botri, eo quod botrum portassent inde filij Israel.
Ad læuam huius torrentis per dimidiam leucam descendit riuu-
lus, in quo Philippus Candacis reginæ Eunuchum baptizauit,
vt legimus Actorum cap. 8. Propinquus est autem riuulus ille Si-
celea. Ab Nehelescol sex leucis contra Ierusalem est Zachariæ
domus, in quam ingressa beatissima virgo salutauit Elizabeth. Vt
legimus Luc. cap. 2.

Philippus
Euangeli-
sta.

¶ Plinius
de hac hi-
storia Ca-
merarius
in vita A-
postolorū.

DESCRIPTIO VRBIS NOBE. §. 69.

EX Zachariæ domo tribus leucis contra Aquilonem, & tan-
tundem contra Vulturum de Nicopoli, est Nobe, sacerdo-
tum ciuitas, quæ nunc Bonocopolis nuncupatur. In ea habitabat
Abimelech, sacerdos magnus, cum alijs sacerdotibus. Ad eam
festinauit Dauid, fugiens Saulem, vbi propositionis panes come-
dit, & accepit gladium Goliath Gethi. Hæc omnia legimus in 1.
Regum cap. 21.

Abimelech
pontifex.

DESCRIPTIO CARIATHOT

Abbatis. §. 70.

EX Bethlehem vna leuca & amplius in via, quæ ducit The-
cuam, est Sepulchrum sancti Cariathot Abbatis cum suis
Monachis, quo migrante omnes migraverunt, & fuit illic magn⁹
populorum concursus, &c.

DESCRIPTIO TERRAE

SANCTÆ CONTRA AV-
strum directæ.

CAPVT OCTAVVM.

Septima descriptio, sumens initium ab Achon, tendit directè
contra Austrum.

D. VRBIS CAIPHAS ET CASTRI

peregrinorum. §. 11.

Ab Achon quatuor leucis tendenti contra Austrum occurrit
primò vrbs dicta Caiphas, sub pede montis Carmeli sita. Ex Cai-
pha autem tribus leucis est peregrinorum castrum, Fratrum [mi-
litia templi, munitum præ omnibus locis, quæ illis in partibus
Christiani obtinuerint. Situm est in corde maris, circumdatum
muris & turribus, alijsq; propugnaculis adeo firmis, vt toti
mundo videatur posse resistere.

DESCRIPTIO SPELVNCE HELIÆ

& fontis filiorum Prophetarum. §. 2.

EX Caipha ad leucam vna via, quæ ducit ad castrum pere-
grinorum, per ascensum montis Carmeli ferè dimidia leuca
est spelunca Heliæ, in qua latuit fugiens à facie Iezabel, in cuius
ostio visionem grandem vidit spiritus & ignis, vt legimus in 3.
Reg: cap. 19. Illic est fons, vbi Prophetarum filij habitabant, nunc
autem inhabitant Freres ordinis Carmelitarum, suiq; cum eis
ibidem.

DE-

DESCRIPTIO CÆSAREÆ §. 3.

A peregrinorum castro quatuor leucis distat Cæsarea, me-
tropolis Palæstinæ, quondam Archiepiscopalis sedes. Hæc
prius appellata fuit Turris Stratonis verum quia Herodes Mag-
nus eam instauravit, Cæsaream in laudem Cæsaris * denomina-
uit. De cuius structura & munitione Iosephus multa scripsit. *Augusti.*
Cingitur ab Occidente mari magno, ab Oriente quadam palude
aquarum dulciū, sed profundarum, in qua Crocodili abundant. *Crocodili.*
Et ego transiens, discrimen magnum incideram, nisi Dominus
de cælo opem mihi dedisset. Situm quidem firmissimum habet,
sed hodie penitus est destructa. Cæsareæ Petrus prædicavit, & ba-
ptizavit Cornelium, Act: cap. 10. Agabus, Propheta existens, Cæ-
sareæ prophetavit, Paulum alligandum in Ierusalem, & traden-
dum gentibus, Act: cap. 21. Paulus Cæsareæ contra Tertul-
lum Oratorem disputavit coram præside Felice, Act: cap. 24.

DESCRIPTIO ANTIPATRIDIS. §. 4.

A Cæsarea duabus leucis contra Austrum est munitio Assur,
quæ ab Antipatro, Herodis Magni progenitore, Antipatris
nuncupata est. De quo legimus in Actibus Apostolorum cap. 23.
quod milites, assumptes Paulum, duxerunt per noctem in Anti-
padrita.

DESCRIPTIO MACHMATHATH,

nunc dictum Chato. §. 5.

EX Antipatride 4. leucis contra Orientem est Machmathat,
nunc autem Chato nuncupatur. Fuit de tribu Manassæ in
planicie sub monte Ephraim situm, non longè à monte Saron. In
hoc Sarraceni præsidium militum disposuerunt contra castrum
peregrinorum. Per Chato est via in via Sichem & Ierusalem. A
Chato 4. leucis contra Austrum est mons Saron, & oppidum
Sarona, cuius mentio fit in Actibus Apostolorum.

DESCRIPTIO GETH. §. 6.

Ab

AB Assur, siue Dora, 8. leucæ sunt vsq; Ioppen, de qua actum est suprâ. A Ioppe quatuor leucis distat Geth, vna ex vribus Philistijm. Ex ea, vt legimus 1. Regum cap. 17. Egredus est Goliad, quem Dauid lapide necauit in valle Terebinthi. Fuit non longè à mari sita, nunc quidem destructa est, & commutata in exiguum Casale, dictum Ibdin, in colle situm. Hinc propriè incipit regio Philistijm.

DESCRIPTIO, QVA DESCRIBVNTUR
mons modin & sepulchra Machabæorum. §. 7.

EX Geth duabus leucis contra Austrum est Bethsames, de qua actum est suprâ. A Bethsames sex leucis contra Orientem in monte Iuda videtur mons Modin, in quo fuit Machabæorum ciuitas. Ibi habitauit ex 1. Machabæorum cap. 2. Matthathias, progenitor fortissimi Iudæ & fratrum eius. Illic sepulti quiescunt Matthathias, & quatuor filij eius, quibus Simon nobilissima monumenta dicauit. Sic enim legimus in 1. Machabæorum cap. 13. Aedificauit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum aedificium altum visu, lapide polito retrò & antè, statuitq; septem pyramides, vnâ contra vnâ patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma in æternam memoriam, & iuxta Arma naues sculptas, quæ viderentur ab hominibus nauigantibus mare.

DESCRIPTIO ACCARON. §. 8.

EX Bethsames quatuor leucis ferè contra Occidentem non longè à mari est Accaron, quondam secunda vrbs Philistijm ad quam deducta fuit arca Domini à Philisteis. Sic enim legimus in 1. Regum cap. 5. Miserunt ergò arcam Domini in Accaron. Destructa est, & versa in exiguum Casale, quod & Accaron nuncupatur.

DESCRIPTIO AZOTI. §. 9.

Ab

AB Accaron quatuor leucis contra Austrum est Azotus, tertia vrbs Philistijm, ad quam deducta fuit arca Domini. Sic enim scribitur in 1. Regum cap. 5. Philistijm autem tulerunt arcam Domini, & asportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum. Fuit per leucam distans à mari, nunc est vile Casale, sicut Accaron.

DESCRIPTIO MACEDA. §. 10.

AIoppe duabus leucis est Lydda, siue Diospolis, de qua actum est suprâ. Ex Lydda tribus leucis via, quæ ducit Gabaon, est Maceda vrbs, quam expugnauit Iosua, in cuius spelunca quinq; Reges se absconderant. Nam sic legimus in libro Iosue cap. 10. Nunciatum est Iosue, quòd inuenti essent quinq; Reges, qui se absconderant in spelunca vrbs Maceda, qui præcepit socijs: voluite saxa ingentia ad os speluncæ.

DESCRIPTIO ASCALONIS. §. 11.

AB Azoto 4. leucis contra Austrum est Ascalon, quarta Philistijm ciuitas, & præcipua, in qua videtur fuisse principatus Philistijm, ex eo, quod legimus in Amos Propheta cap. 1. vbi prophetans contra Philisteorum vrbes inquit: Disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone, & peribunt reliqui Philistinorum. Vsq; hodie permanet in littore maris sita, figuram habens semicircularem, munita valdè, ex qua pender nunc totum robur Saracenorum.

DESCRIPTIO GAZE §. 12.

AB Ascalone quinq; leucis contra Austrum est Gaza vrbs, in maris littore sita iuxta viam, quæ ducit in Ægyptû. Nunc communiter Gazara nuncupatur.

DESCRIPTIO BERSABEE NVNC
Giblin. §. 13.

N

Ex

Abraham. **E**X Gaza vsq; Bersabee sunt quatuor leucae, nunc Giblin dicta. In hac multo tempore Abraham & Isaac habitauerunt, vt legimus Genes. cap. 21. Quare vocatus fuerit locus ille Bersabee, sic scribitur eodem cap. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia vterq; sc. Abraham & Abimelech, iurauerunt ad inuicem pro puteo iuramenti. Fuit autem terminus Iudae & terrae promissionis contra Austrum. Distat ab Hebron, plus quam per dietam, sicut & Gaza. Huius regionis partes tribus Iuda in sortem accepit. Sequitur vasta illa solitudo, quae vsq; ad finem Aegypti extenditur, in qua Hebraeus populus longo tempore errauit, de loco ad locum migrans. Haec de Terra sancta eiusq; celebrioribus locis dicta sunt.

DESCRIPTIO LONGITUDINIS ET LATITUDINIS Terrae sanctae.

CAPUT IX. §. 1.

Ocrava descriptio Terrae sanctae circa eius longitudinem latitudinemq; versatur. Scias studiose Lector, longitudinem Terrae sanctae incipere ab Aquilone sub monte Libano, vbi situatur Caesarea Philippi, quae nunc Velenas appellatur, prorenditurq; contra Austrum vsq; Bersabee Iuda, propinqua deserto magno. Et haec longitudo in sacris litteris signatur, cum dicitur: A Dan vsque Bersabee congregatus est Israel, primo Regum cap. 5. Nam vt supra descripsimus Velenas, Dan & Caesarea Philippi idem sunt. Longitudo tamen & latitudo totius terrae, quam decem tribus inhabitabant citra Iordanem, non apparet spatiosa multum. Quanta tamen fuerit meo iudicio, vt potui eam inuestigare oculis contemplando, hic describam. Ad maiorem autem rei euidentiam Iosephum adducam, acceptatum in hoc fidum & prudentissimum scriptorem. Igitur secundum Iosephum sic accipe cuiusq; decem tribuum sortem citra Iordanem.

*Antiqui:
lib. 5. cap. 1*

SORS

SORS TRIBVS IUDAE. §. 2.

Tribus Iudae superiorem obtinuit regionem. Longitudo extenditur ab Aegypto vsque Ierusalem, diciturque continere 7. dietas. Eiusdem latitudo est à lacu asphalti, quod est mare mortuum, vsque ad mare magnum, id est, mediterraneum contra Occidentem, & est 15. leucarum.

SORS TRIBVS SIMEONIS. §. 3.

Sors tribus Simeonis obuenit cum tribu Iuda ex ea parte, quae est iuxta Aegyptum in monte Arabiae. Sed illius partis milliarum non adduco, quoniam intra Iudae sortem continetur.

SORS TRIBVS BENIAMIN. §. 4.

Tribus Benjamin sortita est à Iordane vsque ad mare magnum per longitudinem 15. leucarum: eius latitudo est ab Ierusalem vsque Bethel, quae non plene continet 4. leucas.

SORS TRIBVS EPHRAIM §. 5.

Tribus Ephraim à Iordane vsque Gadara, quae est iuxta Ioppen, in longitudine extenditur vsq; ad campum magnum Esdrelon, siue Mageddo, quod idem est, vt supra descripsimus, vbi incipit Galilaea, continetque 12. leucas.

SORS TRIBVS MANASSAE. §. 6.

Vt legimus in libro Deuteronom: cap. 14. media tribus Manasse accepit sortem cum tribu Ruben ultra Iordanem, de qua nihil ad praesens describo, quoniam non sufficienter consideravi, vt infra dicturus sum. Altera media tribus Manassae citra Iordanem sortita est ab ipso Iordanis flumine vsque ad mare magnum, vbi situatur Dora, cuius longitudo est 15. leucarum, eius autem latitudo est vsque Bethsan, continens 7. leucas.

N 2

SORS

SORS TRIBVS ISASCHAR. §. 7.

Tribus Isaschar in sortem accepit Iordanem & Carmelum iuxta Maceda, quæ est longitudinis 8. leucarum, cuius latitudo fuit à Bethsan vsq; ad montem Taburim, continens quinque leucas. Terra hæc pinguis fuit, idè minus accepit. Vnde in eius benedictione Genes. cap. 49. Dixit pater eius Iacob, Isaschar asinus fortis. Et sequitur: Videt requiem, quòd esset bona, & terram, quòd esset optima. Eadem ratione & tribus Benjamin in possessione breuissima fuit propter terræ sortitæ fertilitatem. Acceperunt enim Ierusalem & Iericho.

SORS TRIBVS ZABVLON. §. 8.

Tribus Zabulon sortita est Carmelum vsq; Genezareth, longitudinis 9. leucarum: eius autem latitudo fuit à monte Thabor, per vallem Carmeleon continens quinque leucas. Hæc similiter pinguis & fertilis fuit valde.

SORS TRIBVS ASER. §. 9.

Tribus Aser totam terram à Carmelo iuxta mare vsq; ad Sidonem magnam, longitudinis 20. leucarum, cuius latitudo fuit à mari magno contra occidentem vsq; Naalon, continens leucas nouem. Terra hæc pro maiori parte montuosa erat, ciuitas etiam Arce in eius parte sita fuerat, quæ nunc Actipus nuncupatur.

SORS TRIBVS NEPTALIM. §. 10.

Tribus Neptalim accepit partes ad Orientem, conuersas vsq; Damascum, totam Galilæam superiorem, à mari Galilææ vsq; ad montem Libani, fontesq; Iordanis, longitudinis versus Orientem per decem leucas, cuius latitudo contra Aquilonem fuit à mari Galilææ vsque ad Libanum, continens 5. leucas.

SORS

SORS TRIBVS DAN. §. 11.

Tribus Dan loca conuallis iuxta mare magnum accepit à Solis occasu: Ab Austro accepit Azotum, ab Aquilone Dora determinata fuit. Hæc extitit eius longitudo. In latitudine autem accepit Ianniam & Geth & Accaron iuxta mare vsq; Bethoron ad Orientem ad pedem montis, ex quo pendeat tribus Iudæ. Partis huius milliaria non refero, quoniam ex tribu Iudæ, & Benjamin, & Ephraim locus mare partes sumpsit. De Iuda quidem habuit Azotum & Accaron & Geth: De Benjamin habuit Ianniam & Chamatha vsq; Ioppen & Saron montem, & cætera loca maritima vsq; Doram. Iuxta hanc descriptionem tota terra sancta citra Iordanem nusquam videtur excedere spacium 26. leucarum in latitudine, quæ est à Iordane vsque ad mare magnum, hoc est, ab Oriente in Occidentem. In longitudine vero quæ sumitur ab Aquilone in Austrum, extenditur à Dan, quæ nunc Velenas, siue Cælarea Philippi dicitur, vsq; Bersabee, dicta nunc Giblin, & non plene continet 120. leucas. Ecce studiose Lector, descripsi tibi verè & fideliter secundum latitudinem & longitudinem totam promissionis terram, decem tribubus distributam citra Iordanem. Terram autem duarum tribuum, scilicet Gad & Ruben, & dimidiæ tribus Manassæ, ex certitudine non scribo, quoniam ultra Iordanem non multum peregrinatus sum, & licet transferim, tamen facultas non affuit diligenter notandam. Videtur tamen mihi longitudo eius, quæ protenditur à capite maris Galilææ septentrionali vsque ad torrentem Arnon, ubi terminatur, continere ferè 27. leucas, latitudinem autem non vidi, idè nihil de ea ad præsens. Suadeo mihi iam facto periculo, descriptionem hanc nostram vtilissimam fore studentibus, legentibus, exponentibus & euangelizantibus sacram Bibliam, pro libris historialibus, locisque celebrioribus intelligendis. Nec est hæsitandum in ea: testor enim Salvatorem, pro me natum & mortuum, pro cuius amore, & peccatorum meorum venia, tot annis peregrinatus sum, quòd non nisi diligentissimè inuestigata descripsi. Superest nunc vt de Terræ sanctæ fertilitate & ritu & moribus, & conditionibus habitantium in ea, in medium afferamus. In calce autem compendiosè tradam totius

Emath.

Terræ sanctæ longitudo & latitudo.

Frustrum huius commētarij.

Auctoris contestatio

Aegypti descriptionem: in ea siquidē Israel longo tempore adue-
na & peregrinus fuit. Et hæc erit secunda pars huius nostri libelli.

INCIPIIT PARS SE- CVNDA EIVSDEM LI- BRI, DE FERTILITATE

Terræ sanctæ.

CAPVT PRIMVM.

Encomium
Terræ sanctæ.

IGITUR TERRA SANCTA FVIT, ET
est hodie egregia, amœna & fertilis super omnes, vt visu
impleatur, quod Dominus dixit Deuteron: cap. 8: Do-
minus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuo-
rum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erum-
punt fluuiorum abyssi, terra frumenti, hordei ac vinearum, in
qua ficus & mala granata nascuntur, terra olei & mellis, vbi abs-
que vlla penuria comedes panem tuum, & rerum, omnium ab-
undantia frueris. Nec credendum est quibusdam, contrarium
nunciantibus; neq; enim diligenter eam considerârunt. His ocu-
lis vidi, qua facilitate terra benedicta fructificat. Frumentum vix
terra excolta sine stercore & fimo mirabiliter crescit, & multipli-
catur. Agri sunt velut horti, in quibus feniculum, saluia, ruta, ro-
sa passim crescunt. Ibi bombax affluit, canamellæ abundant, ex
quibus saccarum extrahunt. Scias tamen, quod in terra sancta
poma communia & pyra, & cerasa, & nuces raro reperiuntur.
Causam nescio aliam, nisi quia incolæ non consueuerunt serere
similia: æstimo enim, quod terra illa sicut ficus, sic & pomis &
nucibus inepta non esset. Ex Damasco fructus quidam deferun-
tur, qui adeo molles sunt, vt diu seruari non possint, propter ni-
miam in arboribus decoctionem, & terræ caliditatem. Sunt in
terra promissionis cedri, citri, limones, anarangi suauissimi &
optimi odoris, qui per anni circulum continuè seruantur in arbo-
ribus. Sunt & quædam poma citrina magna, ex quibus in Achon
electuaria preciosa valde conficiuntur. Sunt & fructus, dicti poma
paradisi, penitus admirabiles. Poma huiusmodi crescunt in mo-
dum botri vuae, & est botrus ille interdum magnus, vt cophinus,
id est, sporta comperens, habet grana aliquando centum, ali-
quando

Poma Pa-
radisi.

quando plus, sicut vua. Grana illa aliquando sunt longa ad quan-
titatem sex digitorum, aliquando sphaerica ad quantitatem oui
gallinæ, habentq; folliculum siue pellem, sicut faba, crocei coloris,
qua quidem pelle extracta, relinquitur granum mundum sicut
amigdala excorticata. Est enim intus granum illud albi coloris,
aliquando vertitur ad croceitatem: saporis est delicatissimi &
dulcis, vt mel. Grana intus semen penitus non habent, sed tota
eorum substantia commestibilis est. Fructus iste, vix vno anno
crescit, & maturat. Arbor citò deficit: est enim eius periodus triū
annorum ad plus, deinde arescit, qua arescente, alia ex radice pro-
dire incipit, consimiles fructus producens: arescente secunda,
procedit tertia, & sic successiue: Arboris huius folia longa sunt ad
hominis staturam, adeo lata, vt duo sufficiant totum hominē te-
gere. Vineæ quidē multæ sunt in terra sancta, sed & plures essent,
nisi Sarraceni, nunc tenentes Dominium, vt qui ex lege sui stulti
Mahumethi vinum non bibunt, furtinè destruerent eas. Sunt ta-
men aliqui Sarraceni Christianis propinquiore, qui vineas colūt
ex lucro, vvas enim Christianis vendunt & vinum. Vinum, terræ
sanctæ preciosū valde est & suauē, præcipuè circa Bethlehē in val-
le Raphaim, & deinceps vsque Nehelescol, vbi exploratores mis-
si à Moysē acceperunt vitem cum vuis, & detulerunt in castra, vt
scribitur in lib. Num. cap. 13. Item citra Sidonem & vltra per lon-
gitudinem Libani, & in Antarado & Marhado. Et mirabile qui-
dem dictu est, quod in Antarado vidi. Illic enim eadem vitis ter
in anno producit vvas, & maturant omnes tempore suo, hoc qui-
dem modo. Vinitores cum putant vites, relinquunt tot palmites
anni præcedentis, quot existimant necessarios. Deinde postquam
palmites nouos incepit producere, & botros paruulos, incidunt
residuum de palmite, quod est supra botros, & proijciunt. Et
id fit in Martio. In Aprili palmes incisus supra botros pullu-
lat, & producit alium palmitem cum nouis botris, quo viso ite-
rum præciditur de palmite quicquid est supra botros. In men-
se Maio palmes iterum pullulat, & producit alium cum nouis
botris, & sic habentur tres ordines vuarum, quæ maturant hac
lege. Quæ pullulauerunt in Martio, vindemiantur in Augu-
sto: Quæ in Aprili, vindemiantur in Septembri: Quæ in Maio,
vindemiantur in Octobri. Id autem non contingeret, nisi palmi-
tes illo

Vites An-
taradiæ.

tes illo ordine inciderentur. In terra sancta à festo Pentecostes usque ad sanctum Martinum, uuae maturae inueniuntur, & continuè venduntur in foro. Ficus, mala granata, oleum, mel, pepones, citrulli Babylonici, melones & omnium generum leguminum & frumentum optimum in Terra sancta vberimè colliguntur. Panem adeò sapidum & delicatum non comedi, qualem in Ierusalem. Sues syluestres, lepores, capreoli, damæ, perdices, cothurnices, quantum ibi abundant, penè est incredibile dictu. Leonum ibi est multitudo & vrsorum, diuersorumque generum ferè, Cameli penè infiniti. Vidi Camelorum pascentium gregem circa finem Libani iuxta Tripolin, in quo, vt dixerunt indigenae, tria millia & plus continebantur. Vidi dromedarios plures, vidi Unicornes, & vt verba non protraham, illic extant omnia mundi bona, & verè fluit terra riuis lactis & mellis. Soli cultores viles sunt & mali, & adeò scelesti ac peccatores, vt mirum sit, quin terra deglutiat eos, vt Dathan & Abyron. Certè ingemiscendum est, quoniam sanctum datum est canibus. Tu saltem pater aeternè, ne obliuiscaris dilectae tuae Ierusalem, in qua mundi salutem operatus es.

DE DIVERSIS NATIONIBUS, HABITANTIBUS IN TERRA sancta, ac earum moribus & ritu. Et primò de Latinis.

CAPVT II. §. I.

Terra sancta epitome orbis. Omnis natio, quae sub cœlo est, nunc habitat in Terra sancta, & quaelibet viuit secundum regionem & ritum, prout elegerit. Inter nationes autem illic habitantes famosiores sunt istae: Latini, Sarraceni, Syriani vel Syrichij, Graeci, Armenij, Georgiani, Nestoriani, Iamèni, Nubiani, Chaldaei, Medi, Persae, Aethiopes, Egyptij, Maronitae, Madianitae, qui nunc Biduini, Vhami, Parthi, Indi.

DE

DE LATINIS. §. 2.

Perditi Latini moris. Primò igitur de Latinis erit sermo. Dicam verum coram Deo, & vrinam non sic se res haberet. Confundor in natione nostra, quoniam peior est vita & moribus cæteris habitantibus: & rationem mihi probabilem adducam, quam experientia firmavit, cum illic essem. Cum aliquis in Alemania, Italia, Francia, Hispania, Dacia, Polonia, Vngaria, Anglia, & in alijs Occidentis partibus malefactor extiterit, qui secundum leges aut diuitijs aut vita priuari meretur, vel pro peccatis suis sacrum sepulchrum visitare proponit, sicut sunt homicidæ, fures, aggressores, dolosi, proditores, incestuosi, adulteri, voluptuosi, terram sanctam petunt. Sed proh dolor, cœlum mutant, non animum, qui trans mare tendunt. In terra sancta moras protrahentes, quæ delicia nimis est, ocij & gulæ & ludis vacant. Consumptis autem pecunijs, quas secum adduxerant, cum crimina eorum non ferant regressum in patriam, eos noua acquirere oportet, & quoniam nullius honesti artificij magistri sunt, sed vt otiosi ex rapinis & bonis proximi ventrem implere consueuerunt, ad vomitum reuertentes, committunt peiora prioribus. Recipiunt hospitio peregrinos ex gente sua, transfretantes gratia visitandi sanctissima loca: qui sibi cauere nescientes, credunt eis se & sua, sed fraudantur & decipiuntur. Maledicti isti & prophani generant illic filios paternorum criminum sectatores, & peiores, & ex his nepotes pessimi generantur, & corrumpuntur, & abominabiles efficiuntur nimis, calcantes loca sancta pedibus pollutis ac vita detestabili. Inde prouenit, quòd propter habitantium peccata apud Deum terra ipsa cum loco sanctificationis veniat in contemptu. Deus mihi testis, quotiens Mahumetani obiecerunt hanc Christianorum pessimam vitam, & ego tristis ac dolens transibam capite demisso, non valens tegere neque excusare huiusmodi crimina.

DE SARRACENIS. §. 3.

Sarraceni habitant in terra sancta, qui Mahumeth prædicant, & colunt, legemque eius obseruant. Dominum Iesum Christum maximum

Placita Mahumetana. maximum Prophetarum asserunt, & ipsum ex virtute Spiritus sancti conceptum, natumq; de sacratissima virgine, consentitur, filium Dei esse concedunt, passum tamen & mortuum negant, ideo passionis loca derident. Dicunt, eum in cœlum ascendisse, cum tempus sibi placitum aduenit, & ad patris dexteram sedere Mahumeth prædicant Dei nuncium, ad ipsos tantum missum fuisse, & ad Dei omnipotentis sinistram sedere. Isti circa **Spurcitie libidinum.** Venerea immundissimi sunt, tot vxores sibi copulant, quod nutrire possunt. Vitium contra naturam vt peccatum non æstiment: ideo inuerecundè exercent illud, adeo quod loco lupanarium plerunq; in vrbibus constituunt ephēbos. Licet his sordidetur, sunt tamen hospitales multum, & curiales & benefici, iusti & in promissis fideles. Obsequia multa ab eis accipi, etsi vel parum seruiatur eis, abundanter retribuunt. Inter eos nobiliores sunt, & liberaliores, qui Turcæ nuncupantur.

Turcæ.

DE SYRIANIS VEL SY- richijs. §. 4.

Sordes. Syriani, qui & Syrichij appellantur, totam terram sanctam repleuerunt. Christianos se nominant: at Latinis fidem nullam seruant. Miserrimè vescuntur, & vilibus induuntur, auarissimi sunt, nullas dant eleemosynas. Ditiſſimus inter eos non melius nec magis deliciose viuit, quàm pauper. Inter Sarracenos habitant, vt in pluribus officijs eorum funguntur. Et sunt terræ procuratores. In habitu conformes sunt Sarracenis, & non nisi cingulo laneo discernuntur.

DE GRÆCIS. §. 5.

* Nempe **Lugdunen-** Græci Christiani illic sunt, sed schismatici, nisi quod pro magna parte in proximo generali concilio sub Gregorio Pontifice X. ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reuerſi sunt, qui uti quod collo- nam perseuerent. Arrogantes enim, & nimis in oculis suis sapientur in an- tes apparent isti, sine dubio erroribus multis dicuntur inuoluti, num Chri- quod tamen de omnibus non est verum. Apud Græcos Prælati ſti 1273. omnes sunt Monachi, & multæ abstinentiæ ac miſandæ conuerſationis

sationis. Admodum deuoti apparent, Prælatos suos maximè venerantur & colunt. Audiui ego Græcorum Patriarcham, sic dicentem: Sub obedientia Romanæ Ecclesiæ libentiſſimè, & manibus iunctis esse volumus, eamq; reuereri & honorare, verum miramur satis, quod compellimur nobis inferioribus, vt Archiepiscopis & Episcopis, subesse: Quidam Archiepiscopi volunt me Patriarcham Constantinopolitanum, & Antiochenum Patriarcham compellere, ad offerendum eis obedientiam manualementem & osculandum pedes suos, ad quod non credo me obligari, cum tamen id libenter obseruarem erga Papam, Christi vicarium.

DE NESTORIANIS, IACOBITIS, GE- orgianis & Maronitis. §. 6.

Nestoriani, iacobitæ, Georgiani & Maronitæ illic habitant, & Christianos se asserunt. Isti etsi à quibusdam hæreticis denominati fuerint, qui fortè eorum fuerunt duces & eruditores, nunc tamen hæreticos illas non sequuntur. Fui apud eos, scrutatus sum eorum vitam & fidem, & in rei veritate, prout comprehendere potui, homines deuoti ac simplices sunt valdè, continent, ieiunantes, vilibus induti, tanti exempli, quod inter religiosos Ecclesiæ Romanæ familia nunquam expertus sum. In quadragesima nec oleo nec piscibus vescuntur: In diuino officio deuotiſſimi, audientes maximo affectu Dei verbum. Vidi ego in ramis palmarum vespertina hora multitudinem copiosam, cum vexillis multis de ciuitate exeuntem ad audiendum verbum Dei, illis in locis, in quibus vix creditur à nostris Latinis esse aliquot Christi cultores. Omnes prædictæ nationes, pluresquæ aliæ, quas scribere longum esset, quarum etiam nomina melarent, sicut ab alijs plenè eruditus fui, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, aliosq; Prælatos habent sicut & nos, eisdemq; nominibus & titulis denominantur, excepto, quod apud Nestorianos Prælatus primus, qui est loco Papæ, iacelich nuncupatur, cuius iurisdic-tio in Oriente latius extendi à nonnullis dicitur, quàm tota occidentalis Ecclesia.

DE NVBIANIS ET IAMENIS. §. 7.

NVbiani & Iameni terram sanctam inhabitant, Christianos se asserunt, & fidem suscepisse ab Apostolo Matthæo, & quod ab eodem baptizati fuere maiores sui, qui per generationes tradiderunt modum baptizandi in igne. Dicunt enim, sanctum Matthæum sic patres suos baptizasse. Et hunc modum servant, innitentes auctoritati eiusdem Apostoli, qui in Euangelio suo cap. 3. sic ait: Ipse, scilicet Christus, baptizabit vos in Spiritu sancto, & igne. Huic igitur dicto adherentes secundum literam, & antiquæ traditioni patrum suorum, cum baptizant, ferro ignito crucem faciunt in fronte vel facie. Hi in cœremonijs deuotiores apparent inter Orientales.

Baptismus
stigmaticus.

DE MADIANITIS, QUI ET BIDVILI
ni dicuntur, & Vhanis & Alsifinis. §. 8.

SVnt insuper in terra sancta, Madianitæ, qui & Biduini nunc appellantur, dantes tantum operam alendis pecudibus & Camelis. Isti certum aut firmum non habent domicilium, sed ubi cunq; comperiunt esse pascua oportuna, illuc se transferunt cum tabernaculis, ex pellibus Camelorum confectis, & vxoribus, & filiis, & tota suppellectili, consumptisq; pascuis in vno loco, ad alium tendunt, & sic vagi habitant in terra. Tales cum sint natura bellicosi, non vtuntur nisi arcu, gladio & lancea. Vestibus non vtuntur nisi pelliceo super amissam lineam prolixam & amplam, caput tamen panno regentes, vt mulieres citra marinæ. Vt in pluribus habitant circa Iordanis fluentia à Libano usq; ad desertum Pharan. Ibi siquidem extant herbosi montes pro capris & ouibus, ac virides campi pro camelis & bobus, irrigui aquarum copia non modò ex Iordane, sed ex nitidissimis fontibus. In regionibus illis oues magnæ sunt, & præcipuè arietes, habentes caudas adedò latas & longas, quod quatuor hominibus sufficeret ad edendum. Nestoriani habitant circa Berythum, quæ nunc Baruth dicitur, & circa Byblium, nunc Gibleth nuncupatum, in montibus Libani, contra Ithuream regionem. Maronitæ habitant

Oues cauda
spectabiles.

Nestoriani

Maronitæ.

bitant contra fontem hortorum, qui oritur sub humiliori parte Libani, vt descripsimus suprâ, describentes Tripolin. Hi in magna sunt multitudine, dicunturq; habere quadraginta millia pugnatorum. [Circa] Arachas castrum post Tripolin habitant Sarraceni, cognomento Vhani, vsq; ad castrum Chato. Illic fœderati sunt & vnici Sarraceni cognomento Alsifini vsq; vltra castrum Antaradum, iuxta castrum Maragd, habitantes. Vrbes habent & castella plurima, & terram admodum fertilem in montanis. Dicuntur ipsi habere quadraginta millia pugnatorum. Ducem habent non hæreditaria successione, sed prærogatiua, & excellentia meritorum, ac probatæ virtutis, quem nuncupant Senem de montanis, non pro ætate, sed ex ingenij maturitate. Fama est, hos de Perside traxisse originem. Ego pedibus meis vtque ad mortem, te circuiui terram ipsorum. Obedientes sunt vsque ad mortem, ex mandato Ducis, quemlibet interficiunt. Et in hoc beaditutinem se mereri dicunt, ac opinantur, si antequam obedientiam impleant, occidantur. Ante annos, numerum quorum nescio, curarunt Ecclesiæ Romanæ obedire, & in Orthodoxa fide erudiri, Legatumq; pro hoc salutari negotio in Achon destinârunt. Qui omnibus ad vora successis cum remearet, à quibusdam de templo Christianis nostris, insidiosè peremptus est, ante regionis ingressum suæ, in iacturam & scandalum totius Ecclesiæ. Alij siquidem aduertentes fidem & charitatem non esse in Christianis, pedem ab incepto retraxerunt. Terra & dominium eorum à terra Christianorum lapidibus quibusdam discernitur. Christiani in lapidibus signum crucis insculperunt, illi autem signum cubuli. Soldanus nullus hactenus domare eos potuit, sed ipsi leges & iura sibi condunt, quibus vt lubet, vtuntur: formidabiles sunt omnibus circumstantibus ex nimia eorum feritate.

Vhani.

Alsifini.

Senex de
montanis.

DE ARMENIIS ET ALIIS INCIDENTER. §. 9.

SCire te volo, studiose Lector, pro rei veritate, etsi nonnulli oppositum sentiant, asserere volentes, quæ nec sciunt, nec viderunt, quod totus Oriens vltra mare, vsque Indiam & Aethiopiam non men Iesu benedicti confiteretur, prædicat & veneratur, præter in Oriente.

Sarracenos

Armenio-
rum reg-
num.

Catholicus.

Sarracenos & Turcos, habentes dominium in Arabia & Ægypto, qui Mahumeth obseruant & colunt. Sicque pro certo assero, & testimonium de viso perhibeo, & ab alijs, quibus notae fuerunt regiones ultra marinæ, intellexi, quod pro vno Sarraceno vel Mahumetano, triginta inuenies Christianos. Verum quia Christiani ultra marini, vt Syrij, Armenij, Cappadoces, Chaldaei, Medi, Persæ, nationesque reliquæ orientales, bellicosi non sunt, nec armis dediti, cum impugnantur à Sarracenis, vel Tartaris, de facili subiiciuntur eis, necesseque est vt tributis pacem & quietam vitam emant. Sarraceni autem, vel alij, qui eos deuicerunt, assumunt dominium, Baliauos & exactores terris suis præponunt, & inde progenit, vt tale vel tale dominium dicatur Sarracenorum, cum tamen habitantes omnes sint Christiani, præter solos Baliauos præpositos, & exactores, aliquosque de familia eorundem, sicut oculis meis vidi in Cilicia, & Armenia minori. Apud regem Ciliciæ & Armeniæ, qui nunc Tartaris tributa persoluunt, decem hebdomadis moras protraxerantque apud ipsos Tartari paucissimi, vt quinque vel sex, qui verè essent Tartari, residui omnes de curia Christiani, numero circiter quingenti. Hos vidi confluere, Missas audire, genua flectere, deuotissime orare: Quotiens & ubicunque eis occurrì cum socio meo, vel in via, vel in regia domo, nos maximè honorabant, deuotè se inclinantes, salutantes, & nobis transeuntibus assurgentes. Armeniorum summus Prælatus Catholicos nuncupatur. Fui apud eum diebus quatuordecim. Sibi assiscebant Archiepiscopi, Episcopi, pluresque alij Prælati. Erat in victu, & vestitu, & conuersatione tanti exempli, quod simile non vidi nec in religioso nec in seculari. Et pro certo hæc dico, quod omnes vestes, quibus indutum vidi, non excedebant precium vnus floreni, cum tamen munitissima castra, redditusque maximos habeat, sitque quasi infinitæ rei familiaris dispensator. Vtebatur pelliceo arietino grosso cum manicis amplis. Sub eo erat tunica coloris grisei, iam antiquata. Desuper erat scapulare & pallium, vtrumque nigrum, non subtile quidem, sed asperum velut cilicium. Regem Armeniæ vidi cum omnibus optimatibus suis, excepto sanctissimæ Annunciationis festo. Et tunc me

tunc me præsentè Catholicus cum Rege dispensauit, vt piscès comederet, ac vinum biberet. Eodem sollemnissimo die interfui eorum Missæ coram eodem Catholico, & Rege & Regina, habentque officium deuotum valde. Episcopi & sacerdotes cum celebrant, induuntur vestibus altaris, quæ penè consimiles sunt nostris, vt casula, stola, manipulo, camisia & cingulo, atque supercapitali. In azymo conficiunt, & eisdem verbis sicut nos, easdem epistolas, eadem euangelia, præfationes, Sanctus, Pater noster, Agnus Dei in Missis decantant, sicut & nos, in suo tamen idiomate. Habent enim linguam vulgarem, propriam & literalem. Catholicus, omnesque eius Prælati inferiores, Monachi sunt. Soli enim Monachi in toto Oriente, & in quacunque natione, Prælati esse possunt. Et certè in maximo honore ac reuerentia habentur. Sacerdotes seculares & Clerici nullius sunt auctoritatis, nec æstimationis apud laicos. Officium nullum habent, nisi quod diuina celebrant. Ad omnes horas conuocant populum cum tabula, sicut nos in parasceue: non enim campanis vtuntur. Peracto signo in nocte ad matutinas, vadunt per vicos, voce alta inuitantes populum ad officium. Post matutinas non dormiunt, sed in Ecclesia sedentes, vsque ad auroram populum docent. Clarescente die, primam dicunt, inde Missam celebrant, vel circa horam tertiam in die festiuo. Monachi in eorum idiomate Vatraperæ dicuntur. Sacerdotes seculares vxorem ducunt: Neque permittitur aliquis sacerdotium assumere, qui vxorem non duxerit. A die Lunæ vsque ad diem Veneris, etiamsi sit præcipuum festum, Missam non celebrant, vt matrimonio licitè vacare possint. Sabbatho verò & Dominica deuotissime celebrant. Mortua sacerdotis vxore, sacerdos continebit, nec aliam ducet. Si fornicatus fuerit, vel adulteratus, officium & Ecclesiam indispensabiliter perdet, nec cum ipso dispensari poterit, Si vxor eius adulterata fuerit, Sacerdos similiter continebit, aut officium & Ecclesiam perdet, vt supra. Vxor verò adultera naso abscisso dehonestatur. Si quis cum ea concubuerit etiam vxoratus, castrabitur. Idque peractum est me præsentè. Mortuo sacerdote, vxor continebit. Si contraxerit, igne cremabitur. Si se vt meretrix prostituerit, nil mali patie-

ritus sa-
crorum.

Honor Mo-
nachatus.

Matrimo-
nia Clericis
licita.

*Animadu-
uersio in
facinoro-
sos.*

*Religiosa
pietas.*

Doctores.

Nissa.

li patietur. Hoc sæpius accidit, nouumq; constitutum est apud eos. Omnes sacerdotes, secundum Apostolum virginemducunt vxorem. Discernuntur à vulgo panno albo, quem humeris & collo circumdant. Fures minora furta committentes, quibus non merentur suspendi, alijque malefactores committentes minora crimina, castrantur, ne filios generent paternorum criminum imitatores. Et hac de causa in terris illis plurimæ sunt meretrices: vxores enim talium continere nolentes, prostituunt se inuerecundè. Multi siquidem ibi sunt Eunuchi, ac nobilium dominarum famuli. Regina Armeniæ, cum essem apud eam, plures quàm 60. habuit Eunuchos, nec vllus ad eam ingreditur vir, nisi singulari Regis licentia, qui & Eunuchum nomine proprio assignat, vt ingredientem conducat & reducat. Idem seruatur circa nobiles mulieres vxoratas & viduas. Reges principesq; nobilesq; ardenti animo audiunt diuinos sermones: propterea singulis diebus hora diei tertia Vatrapietæ Regis aut alterius principis curiam adeunt, ad quos statim accedunt principes & domini cum filiis ac potentibus suis, afferturq; liber aliquis sacre Bibliæ, legiturq; in vulgari suo, & à Vatrapietis textus exponitur. Seculares quando dubia proponunt, super huiusmodi à Vatrapietis instruantur, & quæstiones per sanctorum expositiones soluant. Interrogatus à me Catholicus, quos præcipue doctores sequatur, respondit, Iohannem Damascenum, Iohannem Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum & Effrem. Clerici & Laici, in Ecclesia deuoti admodum nihil ibi operantur, nisi orare, legere, diuina celebrare vel audire. Nunquam conspicies in Ecclesia ridentem vel vagum, aut dissolutum, cuiuscunque nationis existat. Cereemonialia Missæ deuotissima sunt apud eos. Calix ad sinistram altaris in pariete in loco ornatissimo reponitur, quem ad offerendum Diaconus cum panno serico preciosissimo reuerenter leuat supra caput suum, præcedente Subdiacono cum thuribulo, & acoluthis, accensis cereis, & retrocedentes gyraunt altare vsq; ad dexteram. Tunc Episcopus calicem paratum suscipit, & offert in altaris medio, sicut sacerdotes nostri. Infra Canonem post sacerdotem quo stant, accensos cereos tenentes: iuxta quos duo tenentes thuribula, albis induti. Diaconi duo stant in lateribus altaris à dextris & sinistris, complois manibus deuotè adorantes,

adorantes, versis vultibus ad Christi corpus, veluti duo Cherubim respicientes versis vultibus in propitiatorium. Et cantant melodiam quandam, certè deuotam & dulcem alternatim sibi inuicem respondentes, & id quidem deuotissimum est audire ac videre. Plura alia in regionibus illis vidi in laicis & Monachis & Clericis commendabilia, quæ vix in terra nostra fieri creduntur. Transiui totam terram illam vsq; Cappadociam & Seleuciam maritimam. Inde nauigavi Cyprum, & veni Salaminam, & perambulavi pro magna parte regionem. Inde nauigavi in Syriam, & veni Tyrum, & post dies aliquot inde nauigans per littus Palæstinæ, siue Philistij, pertransui Caipha, montem Carmelum, Doram, Cæsaream Palæstinæ, Antipatrida, Ioppen Iamiriam, Accaron, Azotum, Ascalonem, Gazam, desertum arenosum. Denique perueni ad ostia Nili: & ibi incipiam descriptionem compendiosam Ægypti, vt proposui.

COMPENDIOSA DESCRIPTIO ÆGYPTI.

CAPVT III.

PRima vrbs super ostia Nili sita, quam primo reperi, Phar-Pharma. ma nuncupatur, fortis quidem & optimè ædificata, sed in ea q̃ Meminit habitator non est: serpentes namq; & horridi vermes possederunt eam. Ex Pharma vsq; Taphnim 20. mediant leucæ. Hæc Hierosol: est, de qua inquit Ezechiel cap. 30. Et in Taphnis nigrescet dies, lib. 12. c. 25. cum contriuero ibi sceptrum Ægypti. Hæc est terra Gessen, quàm Phara: habitauerunt Iacob & filij, eo quod essent ouium pastores. Sic enim miam no- impetrarunt à Pharaone, vt legimus Genes. cap. 47. Petimus minat. vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen. Ex Taphni Gessen. vsque Memphim 17. mediant leucæ. In hac vigeant oracula & vaticinia. Inde processerunt Memphitici vates. Contra eam clamat Ezechiel cap. 30. Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis. Scias autem & Taphnin & Memphin antiquitus egregias fuisse, nunc autem penitus defecerunt. Pauci Beduini,

Beduini. Beduini, de quibus actum est supra, in ruinis eius habitant, propter paucitatem & ubertatem regionis. Sunt enim & ipsi pastores.

Damiata. Memphis nunc Damiata dicta est, & ipsa defecit quasi ex toto. Verum Sarraceni construxerunt illic casale, longum quidem sed immunum & vile, ut naues locarent, merces colligerent. Fructibus, frumento, piscibus, & reliquis ad victum pertinentibus, abundant, sicut in Taphni. In Occidentali eius parte inter illud, & Damiatam antiquam, separatur riuus vnus Nili ex suo proprio alueo, & decurrit contra Aquilonem in Taphnis. Inde per frerum, quoddam Baiera dictum, vsq; Pharmam, & ibi mare ingreditur, & illic vnus est portus Ægypti versus Terram sanctam. Riuus verò Nili maior ad duas leucas ex Damiata intrat mare, & hic est Ægypti portus secundus. Tertius verò portus est in Alexandria, vbi Nili pars mare ingreditur, qui locus distat à Pharma per 230. milliaria. Et hæc Ægypti longitudo iuxta mare ex Alexandria, vsque in Babyloniam sunt 230. milliaria, per fluuium Nili ascendendo ex Babylonia vsque Syenen, quæ est pars vltima Ægypti. Contra Austrum & Æthiopiam milliaria sunt 240. Hæc Æthiopia Nubia propriè dicitur, & tota est Christiana, cui Apostolus Matthæus prædicauit. Huius Æthiopie Regem captiuum vidi. Cum ascenderem ex Damiata per Nilum fluuium versus Babyloniam, veni in Abdela, inde Nasotam, quo in loco Nilus partitur, tenditq; minor riuus supra superius fretum iuxta Pharmam, & iungitur illi, qui illic mare ingreditur, ut dictum est supra. Inde iuxta villam optimam, Semenach nuncupatam, separatur iterum alius riuus, & hic est tertius, tenditque contra Austrum, ingrediens mare iuxta villam Phatures, sed innauigabilis est. Item in ascendendo, antequam deueniamus in Phiton & Ramesse, separatur riuus quartus, tendens contra Austrum, mare ingrediens iuxta villam, Striuon nuncupatam. Inde ab ipso riuo vsque Phiton & Ramesse sunt quinque leucæ. Sitæ sunt hinc inde super riuum ipsum, & admodum opulentæ. Inde ad 30. milliaria locus est, Græcè vocatus Delta: Illic siquidem Nilus diuiditur, in diuersa fluens, & totam Ægyptum efficit insulam, ad instar literæ Deltae triangulam, Desluitque riuus maior contra Alexandriam,

driam, alter autem in Damiatam, ut dictum est. Ecce habes quinque Nili riuos. Ex Delta vsque Heliopolin tria sunt milliaria, & hinc recedit sextus riuus, qui tendit contra Aquilonem vsque ad urbem plebis, quæ quondam Pelusium dicta fuerat. Inde tendit per desertum versus Terram sanctam, ac mare ingreditur versus urbem Laris, à qua mare illud Larisæ Gulphus nuncupatur. Inde sunt ferè duæ dietæ vsque Gazam & Bersabee. Riuus iste in scriptura sacra propriè dicitur torrens Ægypti, eratq; in ipso terminus sortis Iudæ, ut legimus in libro Iosue, cap. 15. Dicitur autem Rhinocorura, à quibusdam verò Syor, & Rhinocorura. omnes enim villæ in Ægypto immunitæ sunt, sola Alexandria & Babylonia fortes & munitæ sunt. Heliopolis omnibus mundi delicijs abundans est. Cassia fistula in magna quantitate ibidem crescit. Inde ad sex leucas est Babylonia admodum grandis, optimè munita, sita super Nilum in littore eius aquilonari. Transiit tamen riuus vnus Nili per medium eius, & per Kayrum, reuertiturq; ad riuum principalem in Kayro. Ex Babylonia ad quinque leucas sunt Pyramides triangulæ sublimes, quæ creduntur fuisse horrea Ioseph. Et iuxta illas ruinæ sunt ciuitatis Thebæ ad duas leucas. Ex hec fuit Thebæorum legio cuius primicerius fuit Martyr Christi Mauricius. Thebis adiacet Monachorum multitudo. Supra Babyloniam Nilus habet tantum riuum vnum vsq; Syenen per milliaria 230. Et inde vsq; Meroën sunt stadia octingenta. Syene sub tropico æstiuo sita est. De hac loquitur Ezechiel, cap. 29. Dabo terram Ægypti in solitudine, gladio dissipatam à turre Syene vsq; ad terminos Æthiopie. A Syene sumitur vmbra in primo gradu Cancris. Meroë tunc proijcit vmbra contra Austrum. Ortus Nili inuestigari non potest vltra montes Nubiæ, per quos descendit, nec vltra est locus meabilis, referentibus mihi Nubianis. Terra Ægypti ferè inaccessibleis est: ab occidente enim habet mare magnum, & sic non est accessus nisi nauibus. Contra Africū est desertum Libyæ, quod in longitudine & latitudine dietas plures continet: ab Austro est desertum Æthiopie per 15 dietas & plus vsq; Nubiam: ab Oriente

Oriente est desertum Thebaidos vsque ad mare rubrum per tres dietas vsque ad locum, Bethonice dictum, & est Ægypti portus in littore maris rubri pro nauigantibus versus Indiam. Contra Vulturum & Septentrionem est desertum magnum vsq; ad terram sanctam, in quo filij Israel post egressum ex Ægypto 40. annis commorati sunt. Et dixerunt mihi Sarraceni & Christiani, existentes in Ægypto, quod amplius quàm trecenta millia Christianorum sunt in Ægypto, & Ecclesiæ & claustra multa. In Babyloniam & Kayro sunt Ecclesiæ 40. & plures, quas etiam orationis causa ingressus sum. Est Ægyptus populosa valde. Sarraceni tamen dominium obtinent, sed plurimum timent Biduinos, de quibus actum est supra. Turci verò, siue Turchomanni, superiores sunt, eo quod Soldani diebus multis fuerunt ex gente illa. Ægyptus ferè est Triangula, duobus lateribus æqualibus, & vna breuiori. In tribus angulis huius trianguli situantur vrbes infra scriptæ: Laris, Babylonia, Alexandria. Voluit autem Ægyptus in gyro ex Laris per Babyloniam vsque in Alexandriam 950 milliaria. Ex Babylonia verò vsque Syenen, & inde vsque Meroën, etsi longitudo sit magna, latitudo ferè tamè nihil est. Est enim ascensus per Nilum habens hinc inde altissimos montes. Regia illa penitus est derelicta, præterquam super fluminis ripas. Ægyptus optimæ est habitationis, aer salubris, cibi conuenientes, & temperatior est Syria ac Palæstina, & tamen ex locorum situ deberet oppositum iudicari.

Christiani Ægyptij.
Dominatus Soldanorū Turcicorū.
Temperies Ægypti.

DE HORTO BALSAMI IN ÆGYPTO.

CAPVT IIII.

INter Heliopolin & Babyloniam medio ferè loco est Balsami hortus, de quo actum est supra, longitudinis iactu duorum arcuum. Latitudinis autem iactu lapidis, habens terram ferè albam. In festo sancti Michaëlis cum illic peruenissem, balsami lignum satis humile existeret, scilicet palmæ & dimidiæ in altitudine

titudine, habens folia paruula, vt ruta, sed parum albiora, & de ligno mecum detuli. Modum colligendi Balsamum cultores sic mihi ostenderunt: Discerpebant foliorum vnum ex stipite: adhærentem enim stipitem habet. Discerpentes autem folium ex stipite contra Solem, statim gutta lucidissima & odorifera ex ruptura egreditur. Et hic est Balsami liquor, qui in vitreis phialis congregatur. Quod si folium discerperetur alibi quàm contra solem, liquor non fluere. Rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere, in quo fama est Beatam Virginem Iesum paruulum pluries lauisse, panniculosquè eiusdem mundasse, cum esset in Ægypto propter metum Herodis. Est & ibidem lapis, super quem dicitur eisdem exsiccasse. Et hæc omnia venerantur à Christianis & Sarracenis. Verum quia fons Iesu paruulus est, non sufficiens irrigationi totius horti, Sarraceni alium profundum foderunt iuxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis Iesu aquam alterius fontis fore virtuofam. At se deceptos aduertentes, construxerunt canale, per quod transmittunt aquam illam in fontem Iesu, vnde sic ex eis mixtis fecundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio. Nunc enim sufficienter & virtuoso fecundatur ex aquis sic mixtis. Est præterea aliud mirabile illic, & attestans Christianæ fidei. A meridie Sabbathi vsque ad ortum Solis diei Lunæ, boues cessant aquam extrahere, etsi verberantur acriter, etiam si in frustra inciderentur, non laborarent. Id oculis meis vidi, cum tamen non deficeret sufficiens testimonium Christianorum. In hoc fonte Iesu benedicti laui corpus meum. Sarraceni pariter se lauant & Christiani. Sarraceni quendam deterrium fetorem habent, à quo non possunt mundari, nisi baptizentur, & præcipuè in fonte illo. Vnde pueros suos ac seipsos baptizant, non vt Sacramenti virtutem consequantur, sed vt fetorem abolere valeant.

Opobalsamum.

Documentum Christianismi in bouibus.

Sarraceni hircosi.

MIRACVLVM OMNINO
STVPENDVM DE RELIQVIIS
Diui Baptistæ.

C A P V T V.

Δεῖλανά
Iohan. Ba-
ptistæ.

IN Babylonia est monasterium sub titulo Diui Baptistæ, in quo seruantur reliquię quædam eiusdem Baptistæ, in capsula honorificè. Consuetudo est in eiusdem festo non modò Christianis, sed & Sarracenis, qui Diuum Iohannem plurimò venerantur, monasterium frequentare. Assumunt igitur cum Christianis capsulam illam, ac deponunt in naui, transportantes per Nilum ad monasterium aliud, sub titulo eiusdem sancti constructum. Descendunt autem per Nilum quinque leucis. Postquam verò Missa decantata fuerit, ponunt capsulam in flumine, probare volentes, an beatus Ioannes velit reliquias suas illic permanere, vel ad locum priorem reuerti. Sed mox in oculis omnium capsula contra impetum Nili, qui utiq; satis impetuosus est, adeò velociter currit, & ad locum suum reuertitur, quòd nec qui in equis currunt, valeant præuenire. Id reuelerunt mihi Christiani & Sarraceni bona fide.

Peroratio.

Peraçtis per decennium his longis & certè laboriosis peregrinationibus (Nam non nisi naui vel pedibus tot regiones peragraui, quærens & sæpè mendicans extrema victui necessaria) incepti corpore grauescere, tum propinquantè senectute, tum arduis laboribus perpessis. Quas ob causas statui gradum sistere, nec vltra proficisci. Erat enim mens etiam vltimos adire Indos. Reuertendum igitur mihi persuasi in propriam patriam, vbi in residuo vitæ meæ ac senectute quiescens, quæ oculis vidi fidelibus enunciarè, ac posteris describens, æternam rei memoriam relinquere possem. Quod conceperam, Deo clementissimo fauente, assecutus sum. Tibi honor, tibi gratiarum actio beatissima Trinitas.

A M E N.

Liber

Liber descriptionis Terræ sanctæ, eidemque adiacentium regionum, editus ab eruditissimo & deuotissimo patre ordinis Prædicatorum, Professore, Borcharo Alemano, explicat.

